DE
SEPTIMO-QVÆSITIS:
CREATIONE FILII DEI AD INTRA
Theologice denuo controuersa:

Numinis efficientia, siue concursu Dei cum causis secundis ad effectus producendos, et prauos speciatim: Salute Animę Aristotelis: Diabolo homicida ab initio, qui nec in veritate stetit, quia mendax est, & pater eius:

Oraculo S. Paulini, *Esto Peripateticus Deo, & Pythagoreus Mundo*: Ratione, ac origine Moris antiqui, singulariter in conuiuio bibendi: Simplicibusque Complexionibus, inter Medicos principes controuersis

RESPONSA
FORTVNII LICETI GENVENSIS
EX L. COM.
In almo Lyceo Patauino Medici-Theorici Supremæ Cathedræ.

Ad Illustris. & Excellentiss. D.

D. FRANCISCVM MICHAELIVM
Trium-Virum Literarium.



VTINI, Ex Typographia Nicolai Schiratti. M D C L.
SVPERIORVM PERMISSV.
Prostant Patauij apud Franciscum, & Matthæum Bolzettas Bibliopolas.

Illustrissimo, Excellentissimoq. D. D.

FRANCISCO MICHAELIO

Amplissimo Senatori Veneto

Trium-viro Literario

Fortunius Licetus B. A.



Vicunque, Præstantissime Senator, Te conspiciunt Eloquentia, Sapientia, Prudentiaq; mirifice pollentem ex æquo valde fauere literarum cultoribus, & nauiter summos Inclytæ Patriæ Magistratus obire: simul & non fucata probitate, virtutibusque solidis ornatissimum heroicam vitam agere: non possunt non allici trahique leni violentia quadam in Tui cultum & intimam venerationem. Hinc factum est, vt Augustissima Respublica Te suspiciens florem delibatum MICHAELIAE Stirpis, e magnanima Frangipanorum [a] Prosapia Romanam originem olim habentis, inter Senatorias Venetas ab antiquissimo tempore semper affluentis qua viris doctissimis [b] eximiorum voluminum Autoribus, qua sanctimonia [c] vitæ mire conspicuis, qua Diui Marci prudentissimis [d] Procuratoribus, qua fortissimis exercituum [e] Ductoribus, Classiumque Maritimarum

a Michael Angelus an. 850.
b Albanus 1406
Victorius 1477.
Nicolaus 1484.
Dominic. 1156.
Aloysius 1589.
c Aloysius 1582
Vitales tres.
d Michael 1159.
Carolus 1181.
Ioan. 1261.
Iacobus 1275.
Fantinus 1428.
Petrus 1448.
Nicolaus 1500.
Melchior. 1578.
Ioan. 1580.
Lucas 1587.
e Bernardus 1419
Franciscus 1477

✠ 2 Im.

f Ioan. 1098.
Dominic. 1117.
Michael 1159.
Marcus 1. 1260.
Marcus 2. 1310.
Fantinus 1400.
Aloysius 1489.
Melchior. 1564.
Marcus 1570.
Augustin. 1609.
g Vitalis 1. 1096
Dominic. 1117.
Vitalis 2. 1156.
h Francisc. 1310
i Dominic. 1451
k Ioan. 1468.
l Thomas & alij multi.

[f] Imperatoribus; qua Serenissimis Reipubl.[g] Principibus, qua sacrosanctis[h] Archiepiscopis,[i] Patriarchis,[k] S.R.E. Cardinalibus Eminentissimis, alijsq; plurimis[l] toga sagoque cluentissimis, Te ipsum inquam pridem Oratorem elegerit ad exteros Dynastas de maximis & arduis negotijs componendis: & nunquam non postea supremis Vrbis Rerum Dominæ Magistratibus cum imperio præfecerit: atque demum Trium-virum Literarium Academiæ Patauinæ Moderatorem esse voluerit. Quo quidem in Tuo munere quum ego nuperrime dignitate, beneficioque non leui cumulatus fuerim, animi mei gratam de Tua beneficentia memoriam aliquo non vulgari signo Tibi pariter atq; Mundo manifestam & apertam ponere cupiens, primum hoc ad manus habeo publicum obseruantiæ meæ testimonium, volumen *De Septimo-Quæsitis*, quod sub Tui Nominis effulgentissimo Iubare promulgare libuit mihi speranti non solum inde plurimum lucis accessurum Operi meo, sed etiam in tanto splendore Te visurum intimam animi mei propensionem, qua Tuarum virtutum agmen maximo cultu suspiciens admiror. Vale, meque Tuo nobili & efficaci Patrocinio dignum effice, fouereque Tibi deditissimum nunquam desinas.

Dabam Patauij e meo Scalumnæ Museo
MDCL.

PRO IMPRESSIONE.

Perillustris, & Excellentiss. D. D. Fortunij Liceti in Patauino Lyceo Medicinam Theoricam in prima Sede profitentis, Opus de Septimo Quæsitis per Epistolas; vidi & attentè perlegi ego D. Petrus Trauersius Clericus Regularis, nihilq; in eo offendi quòd non omnino consonum esset Catholicæ Fidei dogmatibus, Sanctorum Patrum placitis, & Sacrorum Conciliorum Decretis uniforme, insuper & bonis moribus proficuum. Vnde omni iure dignum censeo quod publici Iuris fiat, & prælo mãdetur.

Dat. Patauij in nostra Domo Sanctorum Apostolorum Simonis, & Iudæ die 30. Iulij 1648. D. Petrus Trauersius Clericus Regularis Sacræ Theologiæ Professor.

Die vltima Iulij 1648.

Pro impressione supradicti operis de Septimo Quæsitis per Epistolas, fuit per me infrascriptum visum & approbatum, stante suprascripta attestatione, cum nihil contra Fidem, seu bonos mores in ipso reperiatur.

Ita est ego F. Antonius à Lendenaria Inquis. Generalis Paduæ man. prop.

Nos Fr. Iulius Missinus Vrbeuetanus Ord. S. Francisci Min. Conuēt. Artium, & Sacræ Theol. Doct. in Ciuitatibus, & Diœcesib. Aquil. & Concordiæ Inquisitor Generalis à S. Sede Apostolica contra hæreticam prauitatem specialiter delegatus, libenter annuimus, vt typis demandetur liber inscriptus de Septimo Quæsitis per Epistolas Clarorum Virorum Responsa Fortunij Liceti Genuensis, &c. cum per supradict. attestationē nihil in eo repertum sit vel contra Fidem, vel contra bonos mores. In qu. fi. &c.

Dat. in Ciuitate Vtinensi apud Ædes Sanctiss. Inquisitionis, infra septa Monasterij S. Francisci Interioris hac die prima Maij 1649.

Ita est F. Iulius Missinus Inquisitor qui supra manu propria.

Noi Reformatori dello Studio di Padoua

Hauendo veduto per fede del R. P. Inquisitor di Padoa, che nel libro intitolato De Septimo Quæsitis per Epistolas Responsa Fortunij Liceti, non si troua cosa alcuna contra la S. Fede Cattolica, e parimente per attestato del Segretario nostro, niente contra Prencipi, e buoni costumi. Concedemo licentia, che sia stampato, douendosi osseruar le leggi in questo proposito, e presentarne due copie vna per la libraria publica di Venetia, e l'altra per quella di Padoa. In quor. fid. Dat. a' 6. di Agosto 1648.

(Pietro Foscarini Caualier, Reformator.
(Angelo Contarini Caualier, Procurator, Reformator.
(Zuane Pesaro Caualier, Procurator, Reformator.

Aluise Querini Segretario.

Erratorum correctiones.

Pag. 1. lin. 22. incorporeæ. corporeæ. 4. 4. *in marg.* 93-94. 11. 25. indicat-indicat. 23. 20. Deum & vniuersa nihil- Deum nihil. 28. 11. vera- vero. 30. 1. creatio-creatio. 45. 3. ostē lit- ostendi. 49. 16. Eloan. Eloha. 70. 24. animātia-animantium 77. 13. creare- creari. 93. 30. Deus ex- ex. 93. 31. Deus orbem-orbem. 103. 30. Respondendo-Respondendum. 116. 33. quæ-qua. 120. 2. constituuntque-constituentiumque. 123. 13. vere- vere. 127. 3, eam-. Eam. 130. 24. Patris caueat- Patris: caueat. 140. 7. agnominatum-agnominatam. 147. 4. participatū-participandum 150. 26. Functionem- Factionem. 158. 19. verū-veram. 161. 14. creaturam-creatura. 175. 32. Domino- Domini. 190. 33. hominum-omnium. 207. 3. eliciendos-eliciendas. 211. 31. existentiā-existentiæ. 235. 21. hæc-hæ. 266. 21. æui-æuo. 279. 6. molestię-molestæ. 279. 16. meraque-meroque. 279. 26. vetustā-vetustum. 280. 11. quis-quasi- 280. 21. Horanum-Horarum. 273. 8. πετρωμένην-πεπρωμένην.

INDEX CAPITVM.

FOR-

FORTVNII LICETI
Ad sua Responsa
DE SEPTIMO-QVÆSITIS
PRÆFATIO.



Eptenarij numeri mystica ratio mirifice congruit argumento præcipuo nostri voluminis; etenim elucet plurimum in opere Creationis, quam in præsentia primario tractamus; quippe Creatio nihil est aliud, quam productio creaturarum a Creatore Deo: sed in Creatore ternarius Diuinarum Personarum numerus effulget, in creaturis autem quaternarius ordinum; ex quibus duobus conflatur Septenarius numerorum mysteriosissimus. Porro Creationem a Deo solo sub ratione a *Trinitatis edi, certissimum est; quum generatim productio sit rerum in esse simpliciter, adeoque ipsius esse dependentis ab independente, ac operatio Dei transiens ad extra; proptereaque communis & indiuisa tribus Personis Diuinis. Creaturæ vero simpliciter vniuersæ quaternario numero comprehenduntur, ab inuicem ordine, siue genere distinctæ; quarum duæ sunt incorporeæ, Angelus, & Anima rationalis: totidem incorporeæ, Mundus calestis, & elementaris. Quibus quatuor omnium creaturarum numerum contineri certissime constat, & mystica prophetia nobis indicauit Isaias inquiens:* b Ego Dominus, & non est amplius: extra me non est Deus: accinxi te, & non cognouisti me. Vt sciant hi, qui ab ortu Solis, & qui ab Occidente, quoniam absque me non est Deus: Ego Dominus, & non est alter: Formans lucem,

a D. Tho. 1. p. q. 46. b. 3.

b cap. 45. 5. 6. 7.

& creans tenebras: faciens pacem, & creans malum. Ego Dominus faciens omnia hæc. *Indicat ergo clare Propheta, omnia hæc, quæ sunt a Deo creata, quatuor esse generum, nominibus Lucis, Tenebrarum, Pacis, & Mali designatorum. Et sicuti per ternam repetitionem*, Ego Dominus, & non est amplius: extra me non est Deus. Ego Dominus, & non est alter. Ego Dominus faciens: *indicatur Trinitas personarum in unitate naturæ Diuinæ, voluntatis imperiosæ Dominio iubentis creaturas esse: sic omnino per Lucem, Tenebras, Pacem, & Malum innuuntur quatuor illi gradus, ad quos omnes creaturæ rediguntur. Sane lux Angelicam indicat naturam, quam ab initio creauit Deus puram, ab omni labe criminis, & ab omni materiæ obscuritate prorsus alienam, in primo suæ Creationis momento speculantem, lumine cognitionum affluentem: Vnde primus Angelorum a Luce denominatus, Lucifer appellatus est; & omnes alij* astra *c* matutina: *licet postea per culpæ reatum tenebras induerit cum plerisque sequacibus, & Princeps* d *tenebrarum euaserit, retento solo nomine Luciferi. Sed a Creatione statim omnes Angeli nomine Lucis in Sacra Scriptura nuncupari consueuerunt: vti constat ex Areopagita, cum in Opere de Diuinis nominibus, tum in Cælesti Hierarchia* e *scribente, frequenter Angelos appellari nomine splendoris, luminis, & astrorum; quod ipsorum naturâ spiritualis nomine rerum sensibilium nobiliorum designari debeat. Quos Ioannes in* f *Apocalypsi* Stellas, *& Augustinus* Lucem *primo creatam dicit: g* Aut lucis nomine significata est sancta ciuitas in sanctis Angelis, & spiritualibus beatis: de qua dicit Apostolus, *h* Quæ sursum est Hierusalem mater nostra æterna in cælis. Ait quippe & alio loco, *i* Omnes enim vos filij Lucis estis, & Filij Dei, non sumus noctis, neque tenebrarum. *Et alibi: k* Et quid est lux ipsa, quæ facta est, vtrum spirituale quid, an corporale? si enim spirituale, potest ipsa esse prima creatura iam

c Iob 38.7.
d 2. Cor. 6. 14.
e cap. 1. 2. & seqq.
f c. 12. 4.
g 11. de ciu. c. 7.
h Gal. 4. 26
i 1. Thes. 5. 5.
k 1. Gen. ad lit. c. 3.

iam hoc dicto perfecta, quæ primo cælum appellata est, quum dictum est: In principio fecit Deus cælum & terram: vt quod dixit Deus: Fiat lux, & facta est lux: eam reuocante ad se Creatore, conuersio eius facta, atque illuminata intelligatur. *Quem sensum mysticum habere possunt etiam verba sequentia Mosis:* l Et vidit Deus lucem quod esset bona, *nimirum Angelos constantes in innocentia:* & diuisit lucem a tenebris, *confirmans Angelos iustos in gratia, & expellens improbos in tartara, qui propter culpa reatum obtenebrari sibi senserunt intellectum, ne veritatem diuinam aspicerent:* appellauitque lucem diem, *hoc est Angelos* m *bonos,* & tenebras n noctem, *nempe prauos* * *Angelos.* Factumque est vespere & mane dies vnus: *Quia ista Creatio Angelorum omnium, & confirmatio bonorum in gratia, & eiectio prauorum e cælo, facta fuit vno & eodem die primo Creationis vniuersi mundi corporei, sub nomine cæli & terræ comprehensi: cuius partes postea Deus* o *ornauit, perfectasque reddidit distinctis variarum creaturarum productionibus in sequentibus quinque diebus; vt mox explicat Moses, & infra suo loco declarabitur. Porro sicuti nomine Lucis primum a Deo creatæ, mystice signatur ab Isaia (quod in Mosaico dicto quoque notauit* p *Rupertus) vniuersa natura Angelica, quæ propter suum intellectum in actu, vel ab* q *Aristotele comparatur aptissime lumini, quod obtenebrarunt sibi per culpam iniqui, dum tanquam* r *Stella,* s *fulgurque de cælo cadentes in barathrum eiecti fuerunt: Ita nomine Tenebrarum, præter Angelos malos, non inepte mystica pariter interpretatione signantur Animæ rationales in sui productione; nam hæ statim in actu suæ creationis corporibus infunduntur a Deo penitus ignaræ, cunctis cognitionum luminibus priuatæ, ceu rasa tabella singulæ, in quibus, vt ait* t *Aristoteles, nihil actu visibile mentis* u *oculo depictum, nihil actu intelligibile descriptum, sed potentia tantum, quemadmodum in tenebris co-*

l Gen. 1. 4. 5. 6.
m Apoc. 12
n 2. Cor. 11 14.
* Euseb. de præp. l. 7. c. 6. D. Th. 1. p. q 64. art. 1. D. Bonau. 2. se. di. 5. p. 2. ad 3. & di. 7. p. 2. q. 1. ad 1. & to. 7. l. 2. de nat. Dei cap. 22.
o Gen. 2. 1.
p 1. de Trin. c. 10.
q 3. de an. t. 18.
r Apoc. 8. 12.
s Luc. 10. 18.
t 3. de an. t 13.
u 1. Ethic. c 6.

lores actu visibiles non sunt, vt in lumine, sed potestate tan-
x 3. de an. t. 17. 18. *tum, eodem* x *Magistro. Licet priuilegio quodam speciali Deus vni protoparentis animæ rationali statim a creatione rerum*
y 1. p. q. 93. ar. 3. *omnium scientiam infuderit, vt obseruat* y *D. Thomas; primo tamen instanti suæ creationis, vt alias omnes descendentium assidue (sola Christi Saluatoris anima excepta) produxit Deus ignaram animam Adæ, priuatam omni lumine cognitionis actualis, in tenebris ignorantiæ puræ negationis, adeoque tene-*
z 2. de an. t. 70. *brosam; quippe tenebræ nihil aliud sunt* z *Aristoteli, quam priuatio luminis in subiecto apto illuminari. Nunquam vero tenebris ignorantiæ fuit obscurata Christi Redemptoris anima, quæ vel in actu suæ creationis Verbum sibi vnitum habuit hypostatice, cum quo nulla potest esse ignorantiæ tenebrositas; quum essentialiter sit æterni Patris Sapientia, & Veritas. Ceterum istam animæ rationalis in ceteris omnibus naturam tenebrosam, alibi quoque proposuit Aristoteles illam noctuæ com-*
a 2. meta. t. 1. *parans ita:* a Quemadmodum enim vespertilionum oculi ad lumen diei se habent, ita & intellectus animæ nostræ, ad ea, quæ manifestissima omnium sunt. *Ceterum tenebrarum nomine Sacram Scripturam indicare nobis ignorantiæ*
b Eph. 5. 8. 9. *statum, passim obseruant Orthodoxi Patres, ac inter eos* b *Apostolus inquiens:* Eratis enim aliquando tenebræ: nunc autem lux in Domino: vt filij lucis sitis. Fructus enim
c in Ioan. tr. 2. c. 1. lucis est in omni bonitate, & iustitia, & veritate. *Et* c *Augustinus per tenebras ignorantiam humanæ naturæ designat.*
d 2. de an. t. 151. *Quin & Aristoteles ignorantiam* d *ait magis propriam esse hominibus, quia illi connaturalis est, cognitio vero aduentitia: & plus temporis in ignorantia permanere animam; verba Philosophi sunt:* Omnes enim intelligere corporeum, sicut & sentire existimant: & sentire, & sapere simile simili, sicut in primis rationibus determinauimus. Et tamen oportuit simul ipsos & de deceptione dicere; magis propria enim est animalibus, & plus temporis in hac perma-

manet anima. *Sic igitur ignorantia quum & pura maxime naturalis animæ nostræ sit; & praua eam in corpore degentem plurimum temporis occupet; proprioque veluti charactere sacros pariter apud & alios autores nomine tenebrarum designetur; aptissime propheticam obscuritatem colens Isaias, mystico sensu per tenebras a Deo creatas, intellexit animas hominum in tenebris ignorantiæ puræ negationis ab initio conditas; & plurimum temporis vitæ nostræ manentes itidem in tenebris ignorantiæ prauæ dispositionis, quam Aristoteles apte deceptionem appellat.* Pacis *vero nuncupatione probe pariter ac pulchre* Propheta *nobis indigitat* Orbem *cælestem; in quo nulla quum obseruetur aduersantium qualitatum contrarietas, perpetua summa tranquillitas, & concordia viget, vno* Pacis *nomine designanda. Qua de re, sic etiam* e *Aristoteles ex Homero scribit:* Hanc eandem igitur rationem Deus habet in mundo; vt pote qui vniuersorum coagmentationem cohærentem cohibeat & coarctet, incolumitatemque vniuersitatis conseruet: Nisi quatenus non medio ille loco, in terra scilicet, vbi turbida regio est, sed in excelso situs est, purus ipse in puro loco. Quem locum tum οὐρανὸν, quasi terminum extimum supremorum corporum: tum etiam Olympum, vt vsquequaque lucidum, & ab omni caligine secretum, motuque omnino inconditο; cuiusmodi sunt qui apud nos venti fiunt, & tempestates. Id quod his verbis significat f Homerus: e de mund. c.7.

f 6 Odyss. v. 41. & seqq.

„ Esse solum diuis subnixum semper Olympum
„ Fama est: haud vẽtis tremefactum, haud imbribus vdũ,
„ Ac procul a niuibus subductum: nubibus illic
„ Splendida summotis candensque expanditur æthra.

Quam sententiam luculentissime confirmat alibi de cælo tractans g *Aristoteles, ostendens cælestia corpora cunctis carere contrarijs, esse penitus inalterabilia, impassibilia, corruptionis expertia, nulli violentiæ, turbulentiæque subiecta. Quare no-*

g 1. cæl t.13 16. 18. 20. 21. 22. 14. 100. & seq.

nomine Pacis *a summo Deo creata in vniuersi mundi constitutione cælum rectissime designatur hoc oraculo Prophetæ. Qui denique non minus apte viceuersa vocabulo* Mali *significauit orbem terrarum, siue mundum elementarem, in quo semper, vnius ob materiæ contagionem, materialiumq; contrariorum, & h cacodæmonum etiam pugnam assiduam, viget omne malum, tam pœna, quam culpa; quarum nulla potest habere locum in regione cælesti. Quæ doctrina legitur etiam pulcherrime in Theateto Platonis asserentis: Theod.* Si ceteris hominibus ea, quę dicis, o Socrates, ęque ac mihi persuaderes, pax amplior, & mala pauciora inter homines nascerentur. *Socr.* At impossibile est, o Theodore, mala penitus extirpari. Nam bono oppositum aliquid esse semper necesse est. Neque illa tamen apud Deos locum habere possunt; naturam vero mortalem, regionemque inferiorem necessario circumeunt. Quare conandum est, vt hinc illuc quam celerrime fugiamus: fuga autem est, vt Deo similes pro viribus efficiamur. Deo similes efficit, cum prudentia, iustitia simul & sanctitas. *Igitur aptissime retulit Isaias obscuritate prophetica, Creaturas omnes à summo Deo Trino & Vno conditas, ad quatuor summa genera, quæ nuncupauit, Lucem, Tenebras, Pacem, atque Malum: his indicans Angelicam naturam, Animas rationales hominum, Cælestem mundum, & Orbem terrarum. Vnde Creationis contemplatio merito nobis excolitur in Opere* Responsorum De Septimo-Quæsitis: *vel eo quoque nomine, quo Pythagoricis numerus iste Septenarius, Minerua dicatus, Pallas cognominatur, obseruatu* i *Bongi, quæ sine matre de capite Iouis exorta* k *proditur; etenim creatio propriissime dicta, est productio rerum a solo Deo summo peracta sine interuentu materiæ (quæ matris* l *nomine donatur, ac feminæ vicem gerit) per* m *Verbum suæ iussionis, ore* n *prolatum. Maxime vero quum Septenarius numerus, ob septem*

dona

a. cęl. t. 1. 2. 3. 6. 17. 35. 36. 37. 40.
3. cęl. 2. & seqq.
4. cęl. per tot.
b Eph. 6. 12
i de myst. num. sign.
k Stesicho. Apollon. l. 4. Arg.
l 1. phys. t. 80. 81.
m Gen. 1. & seqq.
n Ps. 32. 9.

dona diuina, respiciat Spiritum-Sanctum, inter cetera largientem hominibus, pie requirentibus ac inuocantibus eius opem, bonum intellectum: Te precor enixe Sancte-Spiritus, qui ferebaris Dominus in Mundi Creatione super o *aquas corporea substantia primum e nihilo creata, vt in ista nobili pariter ac perardua Creationis meditatione, quam veluti* p *mare magnum, profunda Sacrarum Scripturarum mysteria continens, ingenij mei cymba sulcare nititur, intellectum meum illuminare velis, & procul a syrtibus errorum semper in Orthodoxorum via dirigere, perducereque ad portum veritatis: Tu Creator Spiritus, Tu Septiformis munere, mentem meam benigne visitans, imple superna gratia veræ scientiæ: Tu diuitias veri sermonis da gutturi meo, veraque scriptionis gratiam digitis meis impertire clementer, ad Tui gloriam perennem, & ad vtilitatem salutemque meam, meorumq; Lectorum.*

o Gen.1.2.

p Rup. in Ioel. Hieron. in Nahum & Habacuc. Gregor. in Ezechiel. hom.6.

De Creatione Filij Dei, hoc aeuo controuersa, vt olim, apud nonnullos Theologos, Quæsitum. Caput I.

Termaximo Viro D. Fortunio Liceto, doctrinarum omnium promptuario Sebastianus Baldus S. & F.

SEmper indies pariunt ingenia sublime aliquid & in doctrinis illustre, hoc præsertim sæculo, quod merito dicas sæculum nouitatis & eruditionis; adeo enim abundat sapientia, exultimque triumphat, vt iam pro *torcularibus*, siue vinum, siue oleum doctrinarum effundantur in orbem, quibus veluti exundat sæculum nostrum, fastuque quodam gloriatur; vt de eo non immerito dici possit, quod olim de Romanis cum Græcis collatis dixit Horatius Poeta lib.2.epist.1.

——————— *si Romani pensamus eadem*

Scri-

Scriptores trutina, non est quod multa loquamur:
Venimus ad summum, Fortuni, pingimus, atque
Psallimus, & luctamur Achiuis doctius vnctis.

De multis, quas sæculum fert gloriosum & mundi cymbalum opiniones, vidi nuper Collegam tuum, doctissime vir, nuperam quandam typis exarasse opinionem, & plane exoticam, *De Creatione Verbi ad intra*, quam ille sustinere conatur lib. 1. Defens. cap. 4. num. 27. 28. 29. Est vir doctissimus, & qui Theologiam profitetur Patauij, tibi fama, facie, & nomine notus: eo loci cum distinguat creationem Scholastice sumptam, ab ea quæ accipitur Theologice, & quam erutam ait ex diuinis scripturis, vult Verbum Diuinum posse dici creatum, imo & fuisse hac secunda creatione, sine vlla implicãtia, vel præiudicio diuinitatis, vel æternitatis ipsius Diuini Verbi. Sed sisto „ verba ipsius Theologi. Nunc, ait, distinguo, quod Crea- „ tio vel Theologicè accipitur, vel Scholasticè. Schola- „ stici enim Theologi & Philosophi non acceperunt signi- „ ficatum Creationis ex diuina scriptura, hoc est ex Sacra „ Theologia, prout annotaui superius num. 9. cum Vico- „ mercato & Pererio. Creatio Theologicè est productio „ entis ex aliquo principio præsupposito, & interno ipsi „ producto: & genus Creationis est productio: extendi- „ turque Creatio & ad intra in Deo, & ad extra in crea- „ turis. Ad intra, sapientia primogenita ante omnem „ creaturam Eccle siast. 24. de se loquitur: *Ab initio & ante* „ *secula creata sum*. & cum 70. Interpretib. Prouerb. 8. *Do-* „ *minus creauit me principium viarum suarum*, vt est apud „ Cyrillum 5. Thesau. cap. 1. & 4. quoniam Filius Dei non „ ex nihilo, sed ex substantia Patris præsupposita, & in- „ existente ipsi Filio, productus est: idcirco & dicitur crea- „ tus. Ad extra, Sap. 13. *Non enim erat impotens manus tua,* „ *quæ creauit orbem terrarum de materia informi*. Genes. 5.

Ma-

Masculum & feminam creauit eos, de luto nimirum & co- „
sta. Hebr. 9. *Tabernaculum non manufactum, id est non hu- „
ius creationis*, quæ creata dicuntur, quia producta sunt „
de principio præexistente, & inexistente. Creatio Scho- „
lasticè est factio alicuius entis ex nihilo sui. Genus vero „
Creationis in hoc sensu est factio, quæ distinguitur in fa- „
ctionem ex aliquo, & factionem ex nihilo. Vndecun- „
que sit hoc significatum acceptum, ex sacra scriptura non „
est, in qua nunquam reperitur hæc loquendi forma, „
Creatio ex nihilo. Scholastici in ea significatione sunt „
diuisi. Hactenus Theologus iste tuus ingeniosè satis, & ad literæ sensum non dissonè; sed rem tamen valde, & verbum exhorresco, quod Verbo Creationem appingere videtur: ideo Euaristus Papa ep. 1. locum illum Eccles. 24. *qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo*, legit pro communi sensu Ecclesiæ, *qui me genuit, requieuit*: Diuina Biblia passim *gigni* Verbum dicunt a Patre; si quando *creari* dicunt, per tropos & translationem, *generationem* eius intelligunt; quomodo nos dicimus ridere prata, audire cælos, & similia; si hoc pacto intelligat Theologus ille, non eum moror: si aliquid amplius velit, admiror vocabuli nouitatem; nec possum intelligere, quomodo Verbum sit Creator omnium, *portans omnia Verbo virtutis suæ*, ad Hebr. cap. 1. sitque etiam creatura & factura Dei Patris; vocet pro sua lubentia Patrem *Principium*, consentio: vocet, *Initium*, admitto: dicat Patrem *Principium totius Deitatis*, non abnuo: &, si velit *causam* dicere, non dissentio cum Græcis: dicat Verbum *generari, nasci, parturiri, concipi*, non refragor: sed si Patrem dicat *creatorem & factorem* Verbi, non inueniet neque in Latio, neque in Græcia qui sibi patrocinetur; imò neque in tota Scriptura, ait Eminentiss. Bellarminus li. 1. de Christo cap. 6. §. Refellitur: *Verbum nunquam*, ait, *in*

B *tota*

tota Scriptura dicitur factum; & ideo D. Thomas de Potentia qu. 10. a. 1. ad 11. non vult concedere vnam personam esse alterius principium *operatiuum vel factiuum*; & D. Augustinus in vniuersum dixit esse in *Latina lingua consuetudine dici aliquando creare, pro eo quod est gignere*; & D. Hilarius dixit Verbum modò genitum dici, modò creatum, non quia creetur Verbum, sed propter Patris immutabilitatem, *qui*, inquit, *extra humani partus speciem, & consuetudinem, sine immutatione aliqua, ac demutatione sui, creauit ex seipso quod genuit*; sicut, ait, dicitur *genitum* Verbum, ad significandum in Filio, *legitimam ac propriam ex Deo Patre genitæ naturæ esse substantiam*. Acutam interpretationem, quam pulcherrimam ait esse Bellarminus Cardinalis lib. 1. de Christo cap. 18. §. Quinta, merito dixerimus istam, quam laudat Bellarminus, vir magnus in doctrina, & maior in sanctitate in tota Ecclesia Dei. Ceterum generatur vere Verbum, cuius Pater genitor dixit apud Dauid in Ps. 109. *Ex vtero ante Luciferum genui te*, vt ab vtero ostendat se verè genuisse, sicut cùm Verbum insufflare dicitur in Apostolos Spiritum-Sanctum, Ioan. 20. ostendit nedum a Patre, sed & ab ipso Verbo procedere Spiritum-Sanctum, & spirari Amorem. Vterum se ait habere Deus, vt non aliud concipiamus, quam generationem, non creationem, neque in re, neque in ipso nomine: genuit Pater Verbum; nec *ideò defluxum mens passa est aliquem, quia sapientiam genuit; sed tota mens in sua natura conseruata est, & tota in sapientia depingitur, & in ea videtur*, vt ait Cyrillus lib. 1. Thesau. cap. 7. sic interpretari debemus diuinam scripturam; eiusque vocabula cum sensu totius Ecclesiæ recipere; alioqui, *generationem eius quis enarrabit?* Verbum enim *Iesus Christus heri, & hodie, ipse & in sæcula*, vt D. Paul. ait ad Hebr. 13. Hæc Tibi pensitanda relinquo, vir doctissime; nam mihi theo-

theologizare neque vacat, neque libet; quanquam si quis Medico succenseat de aliena Tribu vsurpata, meque expostulare velit, iam habeam quò me recipiam tutus & indemnis: Obumbratus scilicet scapulis D. Gregorij Magni in epistola, quam scribit ad Theodorum Medicum, quæ est num. 329. ab Hippocrate enim & Galeno distractum aliquando vult Theodorum, vt in verbis Dei discat Cor Dei, ipsumque adeò Verbum Dei, hac breuicula parænesi: *Disce*; ait Magnus Pontifex, *Cor Dei ex verbis Dei*. Cæterum, vt est apud Holkot qu. 10. determination. art. 1. cum vetere quadam sequentia, sic mihi fari libet:

Dignè loqui de Personis
Vim transcendit rationis;
Excedit ingenia:
Quid sit gigni, quid processus;
Me nescire sum professus.

præcipuè cum id definitum videam ab Ecclesia in Symbolo D. Athanasij; ideò sileo ego: ibi non solum Pater, sed etiam Filius, & Spiritus-Sanctus singillatim dicitur *non creatus*: de Verbo peculiariter, Ecclesia quotidie in Fidei Confessione, quam in Lithurgia vel canit, vel dicit, ipsum Verbum ait, *genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt*. Addo tamen, quod etiam si creari Verbum admittamus ea creatione, quam hucusq; Theologis omnibus & Philosophis occultam esse indicat iste Theologus, sibi soli cognitam; ob Verbi reuerentiam vitanda esset ea vox, ne creari fortasse videri possit hostibus Fidei, quod vere creatum non est: nam hoc pacto, si licentius ita loqui licet, posset perinde quis dicere, Patrem, Filium, & Spiritum-Sanctum non modo esse Deos; quemadmodum voluit Ambros. Catharinus, vt refert Mariana in c. 1. Genes. sed etiam esse tres Deos. Id certè concedit Alliacensis 1. sent. qu. 5. multo post medium §. ad secundam rationem, dicens cum Ochamo,

tota Scriptura dicitur factum; & ideo D. Thomas de Potentia qu. 10. a. 1. ad 11. non vult concedere vnam personam esse alterius principium *operatiuum vel factiuum*; & D. Augustinus in vniuersum dixit esse in *Latina lingua consuetudine dici aliquando creare, pro eo quod est gignere*; & D. Hilarius dixit Verbum modò genitum dici, modò creatum, non quia creetur Verbum, sed propter Patris immutabilitatem, *qui*, inquit, *extra humani partus speciem, & consuetudinem, sine immutatione aliqua, ac demutatione sui, creauit ex seipso quod genuit*; sicut, ait, dicitur *genitum* Verbum, ad significandum in Filio, *legitimam ac propriam ex Deo Patre genita natura esse substantiam*. Acutam interpretationem, quam pulcherrimam ait esse Bellarminus Cardinalis lib. 1. de Christo cap. 18. §. Quinta, merito dixerimus istam, quam laudat Bellarminus, vir magnus in doctrina, & maior in sanctitate in tota Ecclesia Dei. Ceterum generatur vere Verbum, cuius Pater genitor dixit apud Dauid in Ps. 109. *Ex vtero ante Luciferum genui te*, vt ab vtero ostendat se verè genuisse, sicut cùm Verbum insufflare dicitur in Apostolos Spiritum-Sanctum, Ioan. 20. ostendit nedum a Patre, sed & ab ipso Verbo procedere Spiritum-Sanctum, & spirari Amorem. Vterum se ait habere Deus, vt non aliud concipiamus, quam generationem, non creationem, neque in re, neque in ipso nomine: genuit Pater Verbum; nec *ideò defluxum mens passa est aliquem, quia sapientiam genuit; sed tota mens in sua natura conseruata est, & tota in sapientia depingitur, & in ea videtur*, vt ait Cyrillus lib. 1. Thesau. cap. 7. sic interpretari debemus diuinam scripturam; eiusque vocabula cum sensu totius Ecclesiæ recipere; alioqui, *generationem eius quis enarrabit?* Verbum enim *Iesus Christus heri, & hodie, ipse & in secula*, vt D. Paul. ait ad Hebr. 13. Hæc Tibi pensitanda relinquo, vir doctissime; nam mihi

theo-

theologizare neque vacat, neque libet; quanquam si quis Medico succenseat de aliena Tribu vsurpata, meque expostulare velit, iam habeam quò me recipiam tutus & indemnis: Obumbratus scilicet scapulis D. Gregorij Magni in epistola, quam scribit ad Theodorum Medicum, quæ est num. 329. ab Hippocrate enim & Galeno distractum aliquando vult Theodorum, vt in verbis Dei discat Cor Dei, ipsumque adeò Verbum Dei, hac breuicula parænesi: *Disce*, ait Magnus Pontifex, *Cor Dei ex verbis Dei*. Cæterum, vt est apud Holkot qu. 10. determination. art. 1. cum vetere quadam sequentia, sic mihi fari libet:

Dignè loqui de Personis
Vim transcendit rationis;
Excedit ingenia.
Quid sit gigni, quid processus;
Me nescire sum professus.

prçcipuè cum id definitum videam ab Ecclesia in Symbolo D. Athanasij; ideò sileo ego: ibi non solum Pater, sed etiam Filius, & Spiritus-Sanctus singillatim dicitur *non creatus*: de Verbo peculiariter, Ecclesia quotidie in Fidei Confessione, quam in Lithurgia vel canit, vel dicit, ipsum Verbum ait, *genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt*. Addo tamen, quod etiam si creari Verbum admittamus ea creatione, quam hucusq; Theologis omnibus & Philosophis occultam esse indicat iste Theologus, sibi soli cognitam; ob Verbi reuerentiam vitanda esset ea vox, ne creari fortasse videri possit hostibus Fidei, quod vere creatum non est: nam hoc pacto, si licentius ita loqui licet, posset perinde quis dicere, Patrem, Filium, & Spiritum-Sanctum non modo esse Deos; quemadmodum voluit Ambros. Catharinus, vt refert Mariana in c. 1. Genes. sed etiam esse tres Deos. Id certè concedit Alliacensis 1. sent. qu. 5. multo post medium §. ad secundam rationem, dicens cum Ochamo,

quod iste terminus, Deus, ex modo significandi habet supponere pro supposito, non pro natura, nisi ex vsu loquentium, ratione alicuius adiuncti. Vnde sequitur quod de virtute sermonis deberemus dicere Tres personas esse tres Deos: sed monet hoc non esse concedendum, *ex vsu Sanctorum loquentium, & maxime propter hæreticos, ne detur eis occasio errandi, & decipiendi simplices, qui nesciunt virtutem sermonis; & sic hæretici facerent eos credere pluralitatem Deorum, & multitudinem Diuinæ essentiæ*. Præter Alliacensem, sunt alij Doctores, qui idem sentiunt, hique grauissimi, vt notat in primis Hierony. Fasolus, Soc. Ies. Theologus præstantiss. in 1. p. D. Tho. q. 29. a. 3. & tamen nihilominus *constat*, vt ibi Fasolus docet, *ex Scripturis, Concilijs, & omnibus Patribus, & Scholasticis, errorem esse dicere plures Deos, plures Dominos*. Torres Episc. Cassanensis hanc locutionem contra aliquos Iuniores, quanquam eam in bono sensu vsurpant, *esse aperte hæreticam* docet: docent etiam Bagnes, Zumel, eo loci citati a Fasolo. Sed satis dictum in re, de qua si breuibus dixerim, multò magis incurram in periculum errandi, quàm si in alijs multiloquus sim, loquax, & verbosus. Tu, qui Mineruam gestas in pectore, & qui Arbiter es omnium scientiarum, rem discuties plenius, illustrabis, vt me & orbem doceas, cuius in omni scientiarum genere Magister audis, & prædicaris. Vale, ac sis diutissime felix. Genuæ die 5. Iunij anno a partu Virginis 1648.

Resp. Lic. Introducitur de nouo placito Creationis Filij Dei ad intra, nunc inter aliquot Theologos controuerso. Cap. II.

Cl. Viro Sebastiano Baldo Fortunius Licetus B. A.

ÆTernæ Mentis Verbum, quod Intellectus Diuinus, intime semetipsum comprehendens, in æterni-

nita-

nitatis momento stabili producit, vere generationem habet inenarrabilem; vt ait *a* Propheta; quæ Fide potius atque silentio veneranda foret, quam disputationibus & argumentis indaganda; nihil est enim diuini Filij productione vel propter illius immensam lucem illustrius, vel propter humani luminis imbecillitatem obscurius; namque *b* Philosophi notatu, Intellectus animæ nostræ se habet ad ea, quæ manifestissima omnium sunt, sicut oculi noctuæ ad lumen Solis illustrissimum, ad quod plane cæcutiunt: Vt mirum non sit in hoc argumento si non solum pridem (vt ait D. Augustinus in opere *contra Aduersarium Legis & Prophetarum* inscripto disserens) in Ecclesia Dei *tantus conflictus aduersus Arianos fuerit excitatus, ne Vnigenitum Filium dicerent esse creaturam, idem putantes creatum esse quod genitum*; sed etiam æuo nostro consimilis controuersia viros inter Theologos nonnullos nostrates excitata vigeat acerrima, paucis opinioni nouæ subscribentibus, æterni Verbi generationem esse putanti Creationem Theologice, proprieque dictam: & alijs viceuersa creationis actum omnem a generatione Filij Dei procul arcentibus. Quid ergo nunc, Optime Balde, tu me vocas arbitrum inter insignes Theologos de tanta re pure Theologica repugnantes, purum putum Philosophum ac Medicum? An me satis tueatur Vmbraculum Gregorij Magni, sanctissimi viri (quod offert ad Theodorum Medicum scribentis vt ex verbis Dei cor Dei discat)? Consulere poteras de proposito *d* D. Thomam, & alios Theologiæ Summates, Conciliorumque Patres, a quibus altissimum hoc mysterium explicatum haberes aptius, quam a me non professione Theologo. Veruntamen quia tum tibi parere semper in omnibus aueo, tum sæpenumero placet Deo Domino cæli, & terræ mysteria sacra *e* reuelare paruulis, quæ ab- scon-

a Isai. 53. 8

b 2. meta. t. 1.

c l. 1. c. 23.

d 1. p. q. 41. 3. ad 4. 3. cōt. gēt. cap. 8.

e Matt. 11. 25.

scondit a sapientibus & prudentibus occulto quodam iudicio suo; quid, si te nunc hortante suadenteque, vir amicissime, ad aliorum humilium eruditionem, ne procul a veræ Fidei dogmatibus aberrent, me minimum omnium inter literarum cultores elegerit, ac ne Theologum quidem, qui tam abditi mysterij sacramentum indigitarem? quid, si Deus ille, qui ex ore *f* infantium & lactentium solet perficere laudem, nunc ex ore mei prorsus infantis in rebus Theologicis, atque vix Theologicum nectar lactentis, perficere laudem voluerit æternæ suæ generationis? Noui me de rebus Theologicis eloquentem *g* non esse ab heri & nudius tertius, ex quo de sacris Dei mysterijs a plerisque viris Theologis interpellatus sum: agnosco, scioque me penitus impeditioris & tardioris esse linguæ. Sed fortasse, qui maiore portento facit mutos eloqui, fuerit in ore meo, docens quid effari debeam ad veritatis cultum atque stabilimentum; ostendetque mihi Doctores orthodoxos, quos tanquam eloquentes Aarones mysticos adducam in proposito, veritatem catholicam pro me demonstrantes, & sartam tectam tuentes ab impugnantium argumentis, *h* immania prisci Gigantis arma referentibus. Quid, si meo in Theologicis adolescenti Dauidi licuerit, inuocato nomine Domini Omnipotentis, exultationem ingentis Antagonistæ deijcere? quid, si dederit Omnipotens, in dextera mea *i* tollere hominem fortem in bello? Ceterum velitationem præmittere lubet statariæ pugnæ, cum bellatore literario fortissimo mox ineundę primum armorum eius expensa firmitate; namijs effractis, inermem vincere facile fuerit, victumque triplici funiculo, passiuæ nempe generationis, & actiuarum Spirationis, atque Creationis, proprie Filio Dei congruentium, omnino vincire: vinctumque demum ad veritatis tentoria capti-

f Psal. 8. 3.

g Exod. 4. 10. & seqq.

h 1. Reg. 17 5. 6. 45. 46.

i Eccli. 47. 5.

ptiuum ducere. *Nam* k *arma militiæ nostræ*, desumpta ex orthodoxorum armamentario, *non carnalia sunt, sed potentia Dei ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi*; formaliterque Filij Dei, ab æterno geniti, * non creati proprie. Sed quia censeo meum, quem affers in arenam Antagonistam, bonæ voluntatis esse, sicuti mea est ad inquirendam Veritatem; propterea mihi fuerit in agone velut Angelus bonus, *l* qui princeps Regni Persarum restitit viginti & vno diebus alteri Angelo bono satagenti Populum Israelis educere de captiuitate Babylonis, reducereque ad sanctam ciuitatem Ierusalem: cui venit in adiutorium Michael, vnus de primatibus Angelorum, princeps militię cælestis; quem mihi nunc auxiliarem imploro, non vt Antagonistam perdam, sed vt fratrem orthodoxæ veritati, Deoque lucrifaciam.

k 2. Cor. 10.4.5.

*Athanas. in Symbolo.

l Hieron. in Daniel. 10. & Lyran. ibi.

Recentis opinionis defendendæ occasio detegitur: & argumenta præcipua, quibus innititur, expenduntur ad trutinam dialecticæ, num necessitatem, probabilitatemve contineant; an potius paralogizent. Cap. III.

CONsueuit Aristoteles alienas opiniones a sua quandoque primum expendere, quandoque post propriam examinare: præponit quidem aliena dogmata duplici de causa, tum vbi sperat ex illorum consideratione lucis aliquid haurire sibi tenebricosam contemplationem ingredienti: sic in primo de anima difficillimam illius argumenti meditationem auspicatur ab antiquorum dogmatum examine, quibus nonnullas veritatis faculas accipere se *a* monet: tum vbi necessum habet de medio tolle-

a 1. de an. t. 19.

lere falsas opiniones iter obstruentes ad veritatis indaginem; ita primo physicorum erroneas opiniones veterum de principijs ante omnia tollit, quæ negantes rerum multitudinem, atque generationem, sibi penitus obstruebant iter ad veram philosophiam de rerum generabilium & corruptibilium principijs. Postponit autem examen alienarum opinionum suæ veræ sententiæ, quando falsa placita penitus extirpari nequeunt nisi falcibus verorum dogmatum præcognitorum. In hac nostra contemplatione nouam opinionem de Creatione Filij Dei ad intra coacti sumus expendere partim ante nostræ sententiæ promulgationem, partim post ipsam iam explicatam atque stabilitam; nam rationes, quibus opinio noua præcipue fulcitur, impediunt nobis iter ad veritatem Catholicam in Ecclesia hucusque cultam; absque eo quod vllam nobis facem afferant ad ipsius intuitionem: & eam doctrinam pariunt, quam omnino falsam tollere non possumus, nisi prius allata confirmataque vera & orthodoxa sententia. Sic igitur in primis momenta rationum opinionis nouæ breuiter expendemus: Deinde sententiam communis Ecclesiæ Catholicæ proferemus, & confirmabimus: Denique fundamenta cuncta nouæ opinionis ad viuum animaduertemus; præclaram Boethij regulam *b* seruantes; nam

b consol. phil. l. 3. metr. 1.

„ Qui serere ingenuum volet agrum,
„ Liberat arua prius fruticibus,
„ Falce rubos, filicemque resecat,
„ Vt noua fruge grauis Ceres eat:
„ Tu quoque falsa tuens bona prius,
„ Incipe colla iugo retrahere
„ Vera dehinc animum subierint.

Profecto primum illud animaduertere lubet, istum Cl. Virum de productione Filij Dei ad intra non semper eandem

dem profiteri doctrinam; etenim sua in Epitome Theologica sententiam communem habens cum orthodoxis, Athanasio, Concilio Niceno, ceterisque SS. Patribus, asserit æterni Filij productionem esse generationem, non creationem; Filium Dei ad intra genitum esse, non creatum: immo, ne cum hæreticis in sermone communicemus, dicendum non esse *Christum Creaturam*; verba Theologi sunt ipsissima, c diluendum argumentum afferentia: *Si esset genitum aliquid in diuinis, esset necessarium ab alio, & generans necessarium a se: ergo genitum esset minus necessarium in Deo, quam generans: quod autem est minus necessarium Deo, est creatura: ergo genitum in Deo esset creatura.* c 1. sen. di. 4. pag. 26.
Quam rationem eluens mox addit: *d Generatio translata ad Deum ponit eamdem essentiam numero in Patre generante, & in Filio genito: ponit quoque Filium esse simul natura cum Patre. Quamobrem Filius non est factus in Diuinis; quod enim est effectum, essentialiter differt ab efficiente: sed Filius Dei non differt essentialiter a Deo generante. Rursus, effectum est posterius natura efficiente, sed Filius genitus est simul natura cum Patre generante. Exacte igitur Athanasius dixit: Filius a Patre solo est, non factus, non creatus, sed genitus;* vbi creatum & factum coincidere ponit aperte: quod enixe negat in Defensione. Quin & infra proponit aliam rationem dissoluendam, inquiens: *e 3. Nullum creatum est de substantia Patris; Filius autem est creatus; quia Filius est sapientia Dei, quæ in Eccles. 24. ait: Ab initio, & ante secula creata sum.* Cui rationi sic inferius occurrit: *f Ad 3. Patres in Concilio Niceno cuidam philosopho pro Ario disputanti dixerunt illam authoritatem non esse intelligendam de Sapientia increata, sed de sapientia humana creata; quæ pro veritatibus reuelatis a principio mundi creata est, & congruo tempore fuit Israeli reuelata: vnde & ipsa sapientia loquens aut per prosopopæiam, aut conformationem dixit: Qui creauit me,* d pag. 28. e 1. se. di. 5. pag. 30. f. f pag. 34. init.

requieuit in tabernaculo meo, & dixit mihi: In Iacob inhabita, & in Israel hæreditare. Similiter inferius. g *Verbum habet duplex esse essentiæ, & duplex esse existentiæ simpliciter, vnum increatum Deitatis; alterum creatum humanitatis.* Et adhuc infra: h *Christus non est dicendus creatura. 1. Notandum, aliquam propositionem de se veram esse; tamen, quia hæretici per eam palliabant suas fraudes, a Patribus fuisse negatam, quamdiu hæresis vigeret; ne scilicet communicarent vocibus cum hæreticis, sicut nec sensu communicabant. Familiare Theologis exemplum est ex D. Damasc. qui nolebat dici Mariam Matrem Christi, sed Matrem Dei; quoniam Nestorius vt negaret Dei Matrem, Christi Matrem dicebat. Sic ista propositio; Christus est Creatura, scilicet ratione humanitatis: seu Christus est Creator, ratione Diuinitatis, concedi poterat. Quia tamen Arius pestilentem hæresim suam contegebat illo modo loquendi, Patres noluerunt absolute concedi, quod Christus esset Creatura, quamuis posset absolute teneri.* & infra. *Probatur conclusio*, negatiua, *authoritatibus, quia S. Basilius contra Eunomium hom. 2. ex instituto probat, Christum non posse dici creaturam. Sic Ambros. 1. de Fide cap. 6. & 7. 2. quod creatum est, accipit esse post totale non esse sui, vel saltem primum esse sui accipit post non esse illius primi; vt anima post non esse totale sui accipit esse, & dicitur creata: ignis post non esse suæ materiæ primæ accipit esse, & ob id appellatur creatura: Sed Christus neutro modo accepit esse post non esse: ergo &c. 3. quod est creatura potest ad nihilum redigi: Christus autem neque secundum totum, neque secundum primum suum esse potest annihilari: ergo Christus non est creatura.* &c. Talia quum recte sensisset iste Cl. Theologus plane consentiens cum orthodoxis Patribus in Concilio Niceno Catholicam Ecclesiam constituentibus; eodem ferme tempore contrariam prorsus opinionem induit animo De Creatione Filij Dei ad intra, communicans

om-

g 3. sen. dist. 6. pag. 36.

h dist. 11. pag. 59. & seqq.

omnino verbis cum Ario, statuens Verbum ad intra creatum esse. Verum enimvero priorem sententiam habuit communem cum omnibus orthodoxis Patribus, dum sedata mēte theologicas haberet in Archigymnasio publicas Prælectiones; quas epitome sua theologica cōtractas inuulgauit: at opinionem istiusmodi nouam priori contradicentem induit animo commotus, dum iratus respōderet alijs Theologis, a quibus contradicentibus offensum se frequentissime clamitat: Vt mirum non sit, quæ scribit ex habitu scientiæ, veritati consentire; quæ vero delineat ex affectu de eodem argumento, procul a vero abesse. Vere Boethius idem in *i* Consol. Philos. *i* l. 1. metr. 7.

Nubibus atris	*Sæpe resistit*
Condita, nullum	*Rupe soluti*
Fundere possunt	*Obice saxi.*
Sidera lumen.	*Tu quoque si vis*
Si mare voluens	*Lumine claro*
Turbidus auster	*Cernere verum,*
Misceat æstum;	*Tramite recto*
Vitrea dudum,	*Carpere callem.*
Parque serenis	*Gaudia pelle,*
Vnda diebus,	*Pelle timorem,*
Mox resoluto	*Spemque fugato,*
Sordida cæno	*Nec dolor adsit,*
Visibus obstat.	*Nec ira furens:*
Quique vagatur	*Nubila mens est,*
Montibus altis	*Vinctaque frænis,*
Defluens amnis	*Hæc vbi regnant.*

Asseret forsan opinionis nouæ sator, se locutum in Epitome Theologica, publicisque lectionibus ad mentem Scoti, cuius dogmata profiteri tenebatur ex officio; sed in Defensione Vestigationum se scripsisse ad normam veritatis? In primis, non ex ipso Scoto tantum, sed ex

Patribus, ex Concilio Nicæno, totaque proinde Catholica Ecclesia in eo congregata, recte constituit autor Epit. Theologicæ, Christum Dominum quoad Diuinitatem non esse creatum: cum Ario non esse communicandum in sermone de creatione Filij Dei, nedum in sensu. Deinde si propriam opinionem nouam iudicat esse veram, communem vero Patrum esse falsam, sicut & Scoticam: cur falsam doctrinam publice docuit in subsellio pariter, & in Epitome Theologica? cur argumenta non dissoluit eam falsitatem communientia? nonne scit Interpretes octaui Physicorum, opinantes Aristotelem posuisse Mundi totius æternitatem, post eius Philosophi rationes explicatas, teneri solutionem illis adhibere, falsumque dogma confutare? Ceterum non est existimandum, tantum Theologum in publica Schola, simul & in Epitome Theologica publici iuris effecta, voluisse studiosos Auditores suos, totumque mundum literarium fallere, decipereque consulto, doctrinam illam Doctoris Subtilis, & Patrum communem serendo, quam a veritate dissonam omnino censeret; nec tantum sibi tribuisse, propriæque sententiæ arrogasse, vt vnam opinionem & autoritatem suam, decretis omnium Patrum, Conciliorum, & Ecclesiæ totius, innumeros Theologos doctrina simul & sanctitate clarissimos alentis a seculo, prorsus anteponere voluerit, dum animo pacato Theologicam Epitomen formaret, ac in Schola publica Theologiam edoceret. Facile vero fuit concitatiore calamo scribentem aduersus eos, a quibus offensum valde se profitebatur, quicquid in mentem veniret, pro suarum thesium defensione proferre: rationibus auxiliarijs quibuscunque, ac vndecunque, vel ab Ario (licet inuerso, mutatoque quomodocunque sensu prisco) petitis ac extortis. Quarum sane quatuor illæ præcipue sunt abs te, Vir optime, nunc

ex eius opere deductæ. Singularum age momenta iam expendamus. Profecto quam opinio noua, tanquam suum Achillem profert, deductam e sacra pagina nunquam non, vt ait, prædicante creationem esse productionem ex præsupposito principio permanente in re producta, non aliter efformatur, efformarive potest ab eius autore, quam in hanc ratiocinationem. *Creatio vere ac proprie in sacris literis est productio ex principio præsupposito, permanente in re producta. Sed Filius Dei ad intra productus est ex principio præsupposito, nimirum ex substantia Patris, permanente in Filio producto: ergo Filius Dei ad intra theologice vere ac proprie creatus est.* Maiorem confirmat ex sacra pagina Sapient. 13. dicente, *Non enim erat impotens manus tua, quæ creauit orbem terrarum de materia informi.* Genes. 5. *Masculum & feminam creauit eos*, de luto nimirum, & costa. Hebr. 9. *Tabernaculum non manufactum, id est non huius creationis*; quæ creata dicuntur, quia producta sunt de principio præexistente, & inexistente. Quæ quidem ratio, si consideretur intimius, purum putum sophisma est, paralogizans contra Logicæ canones in secunda figura ex puris affirmatiuis, & vtrisque particularibus, ac ex medio æquiuoco, proindeque quatuor ex terminis constructum, nihil omnino concludens: quin etiam falso nititur fundamento; quare subiacet illi censuræ, qua pridem k Aristoteles improbauit onerosas, & litigiosas argumentationes Parmenidis atque Melissi, negantium multitudinem, & generationem rerum; vt opinio noua negat generationem Verbi ad intra contradistinctam a creatione. Procul dubio triplex vitium formæ simul cum falsa propositione facile fuerit obseruare in allata ratione; quæ prorsus æquiualet huic elencho sub eadem forma constituto: *Creatio theologice proprie dicta est productio ex præsupposito principio, permanente in re producta: sed gene-*

1. Ratio op. nou.

1. Vitium elenchi.

k 1. phys. t. 10.

ne-



l 1. phys. t. 62. 65. 82. *neratio physica proprie dicta secundum* l *Aristotelem est productio ex præsupposito principio, permanente in re producta: ergo generatio physica proprie dicta secundum Aristotelem est creatio theologice proprie dicta*. Quæ conclusio falsa pendet ex mala forma syllogistica, & ex falsitate maioris, vt mox ostendetur, quæ placitum est nouæ opinionis. In cuius argumentatione proposita vitium formæ alterum est, quod in secunda figura constet, vt ex puris affirmatiuis, ita ex puris particularibus, quum regula Dialecticæ postulet maiorem præmissam vniuersalem tam in prima, quam in secunda figura; secus ad normam nouæ opinionis, consimili paralogismo colligere posset Hæreticus Filium Dei formaliter esse Spiritum-Sanctum, ac vicissim, ita syllogizans: Filius Dei ad intra theologice productus est ex principio præsupposito & permanente in producto: Spiritus-Sanctus ad intra theologice productus est ex principio præsupposito & permanente in producto: ergo Spiritus-Sanctus est Filius Dei. Quæ conclusio falsa penitus & hæretica deducitur in elencho ex puris affirmatiuis, & particulari maiore in secunda figura. Consimile sophisma fuerit in eadem forma, si cum opinionis nouæ modulo syllogizare liceat: Materia est principium, ex quo præsupposito via originis, & permanente in re producta, constituitur physice compositum omne naturale: sed forma est principium, ex quo præsupposito via originis, & permanente in re producta, constituitur physice compositum omne naturale: igitur forma est materia. Sic igitur paralogismus est in secunda figura ex puris & affirmatiuis, & particularibus vtrisque præmissis, Achilles opinionis nouæ syllogizantis ea forma: Creatio proprie dicta theologice productio est ex principio præsupposito & permanente in producto: Filius Dei ad intra productus est ex principio præsupposito

11. Vitium paralogismi.

sito

sito & permanente in producto; ergo Filius Dei ad intra proprie theologice creatus est. Quod si vitium hoc secundum maioris particularis corrigere nitatur opinio noua, dicens omnem creationem theologice sumptam in sacris literis esse ex principio præsupposito permanente in re producta, non ideo vitium formæ paralogisticæ corriget in secunda figura duabus affirmatiuis propositionibus vtens: at etiam geminato vitio in maiori correcta statim incidet in Scyllam falsæ propositionis, cupiens euitare Charybdim maioris particularis; enimvero falsum est, omnem creationem in sacra pagina cultam esse productionem ex præsupposito principio, permanente in re producta; quia tum anima rationalis, tum materia prima si placet; tum *f* omnia simul accepta, tum cælum & terra in *g* principio temporis, creata sunt a Deo ex nihilo; proindeque de nullo præsupposito principio permanente in re producta; nam ante principium illud temporis, in quo Deus creauit cælum & terram, nullum principium præfuit, ex quo permanente in cælo & terra, duo ista creari potuerint: & præter Deum & vniuersa nihil præfuit ante principium totius temporis, ex quo tanquam principio permansuro in creaturis, illas creauerit: & materia prima simplicem habet essentiam, adeoque principio præexistente caret, ex quo præsupposito, & in ea permanente, creata dici valeat: quin & anima rationalis a Deo immediate *h* inspirata in faciem hominis per actum suæ creationis, nullum habuit ante se principium, ex quo præexistente, ac inexistente creata fuerit. Quæ cuncta, singulaque latius demonstrabuntur *i* infra commodiori loco. Ceterum vitium aliud onerosius est huius elenchi, quod constat ex medio termino penitus æquiuoco, non autem vniuoco; nam illud principium præsuppositum, ex quo permanente in rebus productis dicuntur in

III. Vitium falsæ maioris.

f Ps. 32.9.

g Gen. 1.1.

h Gen. 2.7.

i Cap. IX.

IV. Vitium elenchi ex medio æquiuoco.

sa-

* Gen. 1. & seqq.

sacra * scriptura creatæ stirpes, & iumenta de terra: volucres, & pisces ex aquis: homo de luto, & mulier de costa viri, est principium materiale, passiuum, componens essentiam rei creatæ, illiusque pars, causa partialis, materialis, remota, & indisposita; quum substantia Dei Patris, ex qua tanquam ex principio præsupposito, ac permanente in Filio, Verbum diuinum ad intra produci constituitur, nullum habeat ex his attributis; non enim est materiale principium, neque passiuum, neque componens essentiam Filij, quæ simplicissimus actus est; neque causa sit vllo modo Filij, neque partialis, neque materialis, neque remota, neque indisposita vllo modo. Sic ergo principium præsuppositum, atque permanens in producto, non vniuoce, sed æquiuoce dicitur de substantia Dei Patris, ex qua Verbum ad intra produci dicitur, & de principio præsupposito, ex quo permanente pleræque res creatæ dicuntur in scriptura sacra, citatæ nunc ab autore nouæ opinionis in argumento suo; quod ideo, vt vidimus, est purum putum sophisma tum ex medio æquiuoco, ac eapropter ex quatuor terminis; tum ex puris affirmatiuis in secunda figura: tum ex maiore præmissa vel particulari, vel falsa penitus. Neque vero Syrtes istas euitare poterit opinio noua per illius præmissæ maioris conuersionem reducere tentans argumentum ad primam figuram in huiusce modi syllogismum: Productio ex præsupposito principio permanente in re producta est proprie dicta creatio theologice: sed æterna Verbi diuini origo de substantia Patris est productio ex principio præsupposito, permanente in Filio Dei producto: igitur æterna origo Verbi de substantia Patris est proprie dicta creatio theologice: namque si maior illa sumatur non vniuersaliter, argumentum est paralogismus in prima figura ex maiore præmissa non vniuersali. Si vero suma-

V. Vitium paralogismi.

matur vt æquiualens vniuersali; falsa penitus est propositio, qua dicitur, Omnis productio ex præsupposito principio permanente in re producta, est proprie dicta creatio theologice; quia productio physica stirpium, & animalium ex semine, doctore Philosopho, k est ex præsupposito principio permanente in re producta; non est tamen proprie dicta creatio theologice; vt vnicuique constat: sic artificiosa productio nauis ex ligno, domus ex lapidibus, & aliarum rerum multarum ex proprio cuiusque subiecto, est ex principio præsupposito permanente in re producta; non tamen est proprie dicta creatio theologice. Quin & productio vere theologica tum in principio cæli & terræ: tum omnium simul collectorum a Deo dependentium: tum animarum rationalium: tum etiam materiæ primæ, si placet: tum addam, & Angelorum, est ex nihilo, non autem ex vllo principio præsupposito, permanente in re producta: sicut infra l latius ostendetur. Quare falsa penitus est illa maior, si sumatur vniuersaliter ac de omni, qualem oportet esse quamlibet maiorem præmissam boni syllogismi primæ figuræ. Præterea vero similiter iste syllogismus, in prima figura nuperrime constitutus, est purum putum sophisma ex medio termino æquiuoco, proindeque contra regulam Logicam, ex quatuor terminis: quia principium præsuppositum permanens in re producta, de quo sermo fit in maiori propositione, tractante de creaturis corporalibus in sacra pagina celebratis, est principium passiuum, materiale, fere indispositum, & pars componens essentiam creatam vna cum forma creaturæ, velut eius causa partialis: principium vero, de quo tractatur in minori propositione, quod esse dicitur substantia Patris præsupposita permanens in Filio producto, non est vlla ratione principium passiuum, neque materiale, neque indispo-

k 1. Phys. t. 62.

l Cap. IX.

VI. Vitium sophismatis.

situm, neque pars componens essentiam Filij ab æterno producti. Sic igitur quomodocunque suum hoc argumentum de creatione Verbi æterni formauerit opinio noua, semper onerosam Parmenidis atque Melissi ratiocinationem æmulabitur, in forma pariter & in materia peccantem, paralogizans etiam ex falsis propositionibus. Neque vero ex productione rerum ad extra, quæ creatio dicitur theologice sumpta, quam Deus ab initio temporis molitus est, potuit opinio noua colligere conditiones productionis Filij Dei ad intra; quia nihil habent fere commune duæ productiones istæ, vt obseruabamus; nam productio rerum ad extra fit in momento temporis non permanente: a Deo vno simul ac trino: iubente Domino, per actum *m* voluntatis *n* imperiosæ, vocante ad esse quæ *o* non sunt: ex *p* nihilo; vel ex materia *q* indisposita: quæ sunt omnes conditiones creationis theologice sumptæ, proprieque, ac vniuoce dictæ; de qua late posterius. At ex aduerso productio Filij Dei ad intra fit in æternitatis instanti permanente; a Deo vno, non trino: Patre, non Domino: non iubente, sed intelligente tantum: non per actum voluntatis imperiosæ vocantis ad esse Filium, sed per actum intellectus semetipsum comprehendentis, intelligentisque simpliciter, ac perfecte: non ex nihilo, nec ex materia indisposita: sed ex ipsamet substantia sua, Patris nimirum Filium vnigenitum ante creaturas omnes producentis. Quæ cuncta & singula sunt attributa Generationis, prout a Creatione theologice sumpta contradistinguitur. Etsi creationis vnicum attributum in productione Filij reperiatur, Immobilitas nempe Creantis, quod etiam commune dicitur Generationi diuini Filij, quia generat eum Pater permanens immutabilis: at hoc non efficit, vt proinde productio Filij dici valeat Creatio: nam & idem attribu-

Productio ad extra nil habet commune cum productione Verbi ad intra.

m ps. 113. *n* ps. 32. *o* Rom. 4. 17. *p* 2 Mach 7 *q* Gen. 1.

tribu-

tributum etiam commune prorsus est productioni Spiritus-Sancti; qui producitur a Principio Spirante Immutabili, non tamen ideo productio Spiritus-Sancti dicitur aut Creatio, aut Generatio, sed ab vtraque distincta Spiratio. Sed quia Immutabilitas est proprium attributum Dei, qua r Deus est, ideo competit ipsi quamcumque molitionem diuinam edat, siue generet Filium Pater, siue cum Filio spiret Spiritum-Sanctum, siue cum Filio, & Spiritu-Sancto trinus & vnus Deus ad extra creet omnes creaturas. Ex quo communi attributo immutabilitatis creantis, generantis, atque spirantis Dei, non ideo communem & indistinctam naturam habent generatio, spiratio, & creatio; quæ differentijs alijs ab inuicem distinguuntur. Hinc D. Hilarius, ex Orientali Concilio, & D. Thomas f ex Hilario, sicut infra latius apparebit, asserit Productionem Filij, quatenus est ex præsuppofita substantia Patris, esse generationem, non autem creationem: quatenus autem eam molitur Pater, vt principium immutabile, dici quoque creationem; sed non proprie, ac vniuoce; quia desunt illi plurima prædicta creationis attributa essentialia; verum æquiuoce, communiter, & abusiue; quia vnicum attributum, ceteris multis proprijs & essentialibus absentibus, non potest ideam integram veræ creationis constituere: communeque attributum generationi, & creationi, quin & spirationi a Deo patratæ, creationem proprie sumptam non valet constituere, sed communiter dictam & abusiue; nam abutimur communi ad significandum proprium. Quapropter argumentum primum proprium opinionis nouæ de creatione theologice dicta Filij Dei ad intra, multo onerosius est Arianorum ratiocinio; nam syllogismus Arij præcipuus non peccat in forma, sed in materia tantum, assumens propositionem falsam, *Creatio simpliciter omnis*

r Malach. 3. 6.

f 1. p. q. 41. 3. ad 4. f.

Arij ratio minus peccat, quam opinionis noua.

est productio ex non extantibus, adeoque ex nihilo: ceterum seruat Logicæ regulas: at opinionis nouæ prima ratio propria peccat non solum in materia, falsam habens propositionem, sed etiam in forma, multiplici vitio, tum ex puris affirmatiuis in secunda figura paralogizans; siue maiorem præmissam in prima figura ferens non vniuersalem: tum semper obtinens quatuor terminos, innixa medio prorsus æquiuoco, diuersi generis in maiore, ac in minori propositione: sicuti visum est euidentissime. Corruit ergo principalis ratio nouæ opinionis de Creatione Filij Dei ad intra. Secunda vera ratio propria nouę opinionis, illis verbis allata: Hebræos 9. *Tabernaculum non manufactum, id est non huius creationis*: quæ creata dicuntur, quia producta sunt de principio præexistente, & inexistente: si reducenda sit ad formam syllogisticam, ea fuerit: Manufacta sunt huius creationis theologice, quia producta sunt de principio præexistente, & permanente: Dei Filius ad intra productus est ex substantia Patris tanquam de principio permanente, ac inexistente: igitur Dei Filius ad intra est creatus theologice. Quæ quidem argumentatio prorsus ijsdem vitijs est obnoxia, quibus vidimus coinquinari priorem; nam ipsissimus est elenchus paralogizans in secunda figura ex puris affirmatiuis. Deinde sophisma constat ex quatuor terminis in æquiuocatione medij; quod principium præsuppositum & permanens in producto diuersi generis est ac penitus æquiuoci in maiori propositione, ac in minore, propter easdem causas allatas in examine superioris elenchi; nihil enim habet vniuoce commune substantia Patris æterni, & passiua materies artefactorum sub ratione principij præsuppositi & permanentis in re producta. Præterea si maior illa non vniuersaliter assumitur, tertium aderit vitium formæ syllogisticæ; quæ in secunda figura pariter ac in pri-

Secunda ratio noua opinionis propria vt paralogizet.

I. Vitium formæ.

II. Vitium.

III. Vitium

prima postulat maiorem vniuersalem. At si sumatur vniuersaliter, præterquam quod non euitatur inde primum crimen secundæ figuræ sine propositione negatiua; maior illa falsa fuerit: Omnia manufacta sunt huius creationis theologice, quia producta sunt de principio præexistente ac inexistente; nam ita productio stirpium quotidiana, & animalium ex semine foret creatio theologice proprie dicta, similiter nauium, domorum, & omnium artefactorum constructio; quod absurdum est dicere. D. autem Paulus abutitur nomine creationis in ampliore, minusque propria significatione, metaphorice loquens, dum ait: *t Christus autem assistens Pontifex futurorum bonorum per amplius, & perfectius tabernaculum non manufactum, id est, huius creationis:* quale fuit Hebræorum tabernaculum per manus artificum olim constructum. Quod si per conuersionem maioris opinio noua tentauerit hoc suum ratiocinium ad primam figuram reducere, dicens: Quæ producuntur ex principio præsupposito ac inexistente, sunt creata theologice: Filius Dei producitur ex principio præsupposito, ac inexistente, nimirum ex substantia Patris: ergo Filius Dei theologice creatus est: maiores incurret difficultates; nam si maior fuerit non vniuersalis, vt eam non syllogizans facit Apostolus agens de creatione sola manufactorum apud nos; paralogismus opinionis nouæ iam erit in prima figura ex maiore non vniuersali. Sin autem sumatur illa maior vniuersaliter, primum adulteratur Apostoli textus, qui de creatione nostrati speciatim loquitur, non de creatione in vniuersum. Deinde falsa fuerit omnino propositio dicens, omnem productionem ex principio præsuppositos, & inexistente, esse proprie dictam creationem theologice. Denique vero quomodocunque formetur ista ratio, semper erit ex quatuor terminis cum medio peni-

IV. Vitium.

t Hebr. 9. 11.

V. Vitium.

VI. Vitium.

VII. Vitium.

VIII. Vitium.

penitus æquiuoco, contra Dialecticæ canones; nam creato rerum n ostratium non potest habere principium ex quo commune non æquiuoce cum productione Filij Dei ad intra. Sic igitur vt prima ratio propria nouæ opinionis, ita secunda prorsus imitatur elenchum Melissi, dudum ab Aristotele *u* reprobatum. Iam videamus alias duas rationes de creatione Verbi Diuini ad intra, quas opinio noua communes habet iam cum Arianis; earum vnam desumit ex ipso Salomone dicens: Et cum 70. Interpretibus Prouerb. 8. *Dominus creauit me principium viarum suarum*: vt est apud S. Cyrillum 5. Thesauri cap. 1. & 4. Quoniam Filius Dei non ex nihilo, sed ex substantia Dei Patris presuppo sita, & inexistente ipsi Filio productus est; idcirco & dicitur creatus. Quam quidem rationem ex allato Prouerbiorum loco, non aliter quam olim Arius, format opinio noua: Dei Filius, nomine Sapientiæ vocatus a Salomone, sic in Prouerbijs introducitur de semetipso loquens: *Dominus creauit me principium viarum suarum; vt vertunt LXX, & Cyrillus:* ergo Filius Dei ad intra vere ac theologice creatus est: Arius quidem putabat ex nihilo, contra noua opinio ex substantia Patris præsuppo sita & inexistente: sed vterque suæ rationis cardinem ex Prouerbijs habet hoc Enthymema, Dominus creauit Filium principium viarum suarum, ergo Dominus creauit Filium: vel hoc argumentum cathegoricum, Qui Filium creauit principium viarum suarum, ipsum absolute creauit: sed Filius de semetipso dicit, *Dominus creauit me principium viarum suarum:* ergo Filius a Patre vere ac proprie creatus est. Certe minus onerosa videtur ista ratio duabus antecedentibus, quod vnicum obtineat vitium formæ, quo paralogizans progreditur a coniugatis ad diuisa, siue a secundum quid ad simpliciter, ex antecedente vero male colligens falsam conclusionem;

u 1. phys. t. 10.

III. Ratio communis cũ Ario in probatione.

Paralogismus vt sit allata ratio.

nem;

nem; perinde atque si quispiam hæreticus ex illo dogmate verissimo, principioque x Ioannis orthodoxo, *Verbum factum est caro*: colligere vellet, ergo Verbum factum est; quod est hæreticum dogma, damnatum a Concilio Nicæno, & ab Ecclesia, decernente, Verbum esse genitum, non factum. Vera est illa propositio Euangelistæ coniugantis *factum* & *caro* in Verbo, dicentisque *Verbum caro factum est*: falsa prorsus est hæretici conclusio, colligentis inde per separationem *carnis* impia blasphemia, *Verbum factum est*. Non aliter peccat Arius, & opinio noua, negligens dialecticæ canones, dum ex eo, quod Salomon ait, Dominus creauit Filium principium viarum suarum, vnanimes colligunt: ergo de sententia Salomonis Pater creauit Filium; licet Arius de alio genere creationis tractauerit ab eo, quod comminiscitur opinio noua: Illud enim *principium viarum Dei*, attributum est contradistinctum a simplici natura Filij, ac illi iam genito concessum a Patre; vt infra cum Cyrillo latius ostendemus. Quare paralogizat etiam ista ratio. Nec omittenda falsa citatio versionis 70. qui non verterunt *creauit*, sed *condidit*, vt infra y latius ostendetur. Quarta vero ratio, communis Ario simul & opinioni nouæ, sic asserenti: Creatio theologice extenditur ad intra: sapientia primogenita ante omnem creaturam in Ecclesiastico 24. de se loquitur: *Ab initio & ante secula creata sum*. Quę sane ratio sic in syllogismum nectitur: Quod ab initio & ante secula creatum est, ad intra theologice creatum est: sed Filius Dei, dictus sapientia primogenita ante omnem creaturam, ab initio & ante secula creatus est: ergo Filius Dei ad intra theologice creatus est. Dubio procul iste syllogismus omni carere videtur vitio formæ, constitutus prima fronte inculpatus in tertio modo primæ figuræ; sed intimius ipsum introspicienti, maior illa de se

inde-

x cap. 1.

y Cap. 18.

IV. Ratio cōmunis Ario, & opi. noua.

indefinita, Quod ab initio & ante secula creatum est, ad intra theologice creatum est, si sumatur vt æquipollens vniuersali, caret quidem, inde conflata ratio crimine formæ, sed theologice peccat in materia, propositionem habens maiorem omnino falsam, & minorem extra sensum genuinum Ecclesiastici, cuius textus artificiose non integer, sed mutilus allatus est: Falsum quidem est, Omne creatum ab initio & ante secula, esse theologice creatum ad intra: nam S. Mater Ecclesia Catholica prædicat hoc idem effatum de Virgine Matre, dum in Missa z Natiuitatis eius consimile legit oraculum e Salomonis a Prouerbijs haustum: *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quicquam faceret a principio: Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis antequam terra fieret.* Non tamen ideo Virgo Mater dicenda est ordinata, possessa, & creata ad intra: quia solæ Diuinæ Personæ, Filius, & Spiritus Sanctus ad intra producuntur: quare falsa est illa maior vniuersaliter accepta, omne creatum ab initio, & ante secula, est theologice creatum ad intra. Sin autem non vniuersaliter assumatur, & de omni, sed singulariter ad vnum Dei Filium coarctata, pariet paralogismum in prima figura ex maiore non vniuersali. Quin etiam contra canones Dialecticæ Filius, minus extremum argumenti, ponetur in maiori propositione. Sed & argumenti proposita minor est contra genuinum sensum Ecclesiastici; cuius textus callide mutilus affertur; nam integer ipse locus in antecedentibus, & sequentibus verbis apertissime docet se loqui de creatione Filij Dei, non ad intra quantum ad eius diuinitatem, sed ad extra quoad ipsius humanitatem in plenitudine temporum assumendam: habet enim ita contextus integer b Ecclesiastici loquentis in persona Filij Dei sub nomine Sapientiæ: *Tunc præcepit, & dixit mihi Creator omnium: & qui creauit*

I. Vitiũ falsæ materiæ.

z Durand. rat. di. off. l. 7. c. 8.

a Prou. 8.

II. Vitium formæ.

III. Vitium formæ.

IV. Vitium.

b Eccli. 24. 12. & seqq.

uit

uit me, requieuit in tabernaculo meo, & dixit mihi. In Iacob inhabita, & in Israël hæreditare: & in electis meis mitte radices. Ab initio, & ante secula creata sum, & vsque ad futurum seculum non desinam, & in habitatione sancta coram ipso ministraui. Et sic in Sion firmata sum, & in ciuitate sanctificata similiter requieui, & in Ierusalem potestas mea. Et radicaui in populo honorificato, & in partes Dei mei hæreditas illius, & in plenitudine sanctorum detentio mea. Quasi Cedrus exaltata sum in Libano, & quasi cupressus in monte Sion, quasi palma exaltata sum in Cades, & quasi plantatio rosæ in Iericho &c. quæ singula & omnia attributa non respiciunt vlla ratione Filium Dei ad intra, sed conueniunt soli Verbo incarnato, Christoque Domino, qui naturam humanam indutus habitauit in Iacob, & in Israel hæreditate, in electo populo Dei, ministrans in habitatione sancta Dei Euangelium, firmatus in Sion, & requiescens in ciuitate sancta Ierusalem, vbi potestatis immensæ suæ prodigia fecit, mirabilia peragens ostenta. Dicitur autem caro, & humanitas Domini, proindeque Sapientia diuina quoad humanitatem ad extra sumendam in vtero Virginis, creata ab initio & ante secula, quia præuisa, & prædestinata fuit a Deo ab initio, & ante secula; nam Pater Deus ab initio & ante secula prædestinauit creare humanitatem primogeniti Filij sui, iam producti in æternitatis momento; quod latius infra demonstrabitur; & in præsentia sufficiat attulisse tum Glossam ordinariam hoc loco dicentem: *Ab initio: Sacramentum incarnationis ante secula præuisum & prædestinatum; permanet in seculum seculi: & inhabitationes Ecclesiæ, idest, ritum veræ religionis disposuit.* tum etiam D. Thomam hoc oraculum explicantem his notis: c *Vel potest referri ad naturam creatam assumptam a Filio: vt sit sensus: Ab initio & ante secula creata sum, id est præuisa sum creaturæ vniri,* c 1.p.q.31. 3.ad 4.

E Ve-

Verum Ecclesiastici sententia ista commodiori loco luculentius infra *d* considerabitur. Iam ergo satis constat, opinionis nouæ syllogismos præcipuos, abs te mihi propositos ad trutinam, optime Balde, carere necessitate probationis, probabilitateque suasionis; at obnoxios censuræ D. Augustini, *e* posterius *f* afferendæ, ac esse paralogizantes; vt & alij, de quibus infra, vbi naturam intimam, & differentias omnes Creationis introspexerimus, & explicauerimus.

d Cap. 18.

e tom. 7. l. 3. contr. Iul. cap. 7.

f Cap. 15.

De creationis acceptione multiplici, cautioneque adhibenda in eius meditatione controuersa. Cap. IV.

DIffractis ita præcedenti velitatione præcipuis armis ingentis antagonistæ, compressisque vociferationibus tumultuantis, quæ nobis vtcumque turbare poterant literariam concertationem, modo tempus est opportunum aggredi statariam pugnam ex rei natura. Profecto etiamsi statuat *a* Aristoteles, in controuersis abditarum rerum meditationibus, quicumque veritatem sufficienter iudicaturi sunt, non oportere illos vlli ad seinuicem contradicentium aduersarios esse, sed arbitros, expensis exacte prius litigantium opinionibus, & argumentis inter se contrarijs. Nihilominus ego, qui prouinciam istam de Creatione, nunc inter Cl. Viros controuersa, lustrandam aggredior ad tui solius iussionem, ne periculoso nimium lapsu cadant imbecillæ mentes a veritatis ac orthodoxæ fidei notitia; iam aduersarius esse cogor alteri pugnantium, non inter eos arbiter. Qua quidem in controuersia ingenue mea cogitata tibi proponere nunc decreui tua iussa capessens; & primum rei veritatem detegere nitar, dein aduersantibus illi dogmatibus machinas expugnatorias adhibere conabor, qua sacrarum

a 1. cæl. t. 101.

scri-

ſcripturarum autoritate ſuffultus, qua rationibus ex rei natura depromptis innixus. Et quoniam vniuerſa contradicentium in propoſito nobis argumento lis oriri mihi videtur ex æquiuocatione nominis Creationis; propterea contemplationem auſpicari neceſſarium arbitramur a diſtinctione ſignificationum vocabuli *Creationis*. Profecto, quod Ariſtoteles *b* obſeruabat, quum rerum numerus pluſquam nimium ſuperet nominum multitudinem; non ſolum ideo contingit vt pleræque res certo proprioque nomine careant; quod notat etiam idem Philoſophus *c* alibi; ſed vt coacti quoque ſimus tum rem proprio nomine carentem, alieno frequenter appellare: tum vno & eodem nomine propterea multa rerum genera nuncupare; quarum aliquæ naturam ab alijs obtinent omnino diuerſam; quibus ideo tale nomen æquiuocum eſt: aliquæ vero ſimilem vtcumque cum alijs; quibus illud idem nomen analogum eſt: aliquæ demum eandem naturam habent ſub eodem vocabulo cum alijs; quibus idcirco nomen illud vniuocum exiſtit. Quam theoriam circa Tactum nos edocuit *d* Ariſtoteles, & circa nomina fere alia ſingula. Quumque frequentiſſima ratio diſſentiendi de natura rerum, vt dicebam, ab æquiuocatione, multiplicitateque ſignificationis eiuſdem nominis ortum habeat; idcirco nomen Creationis æquiuocatione ſua, ſignificationeque multiplici, ſicut olim apud Orientalem *e* Eccleſiam, ita nunc apud Occidentalem miras controuerſias inter Doctores excitare potuit, altercantes de Creationis genuina definitione, proindeque de vera ſignificatione nominis huius; etenim Ariſtotelis *f* decreto, nomen illud idem confuſe ſignificat, quod explicat diſtincte definitio. Quoniam vero *g* Magiſtri ſanctione, prius diſtinguenda ſunt æquiuocorum ſignificata, quam eorum definitiones afferantur; quod, vt

b 1. elen. c.1.

c Præd. Ad ali.

d 1. de gen. t.44.

e Hil. 5. de Synodis Fidei.

f 1. phyſ. t.5.

g 1. top. c.14.

b de Fato. c. 2. vt admonet *b* Alexander, multiplex nullum absque propria diuisione prolatum, potest esse notum. Ideo ne per obscuras æquiuocationes ambulantes, ad Ignorantiæ prauæ cauam descendamus præcipites; ante omnia cunctas Creationis differentias, atque significationes internoscere, ac ab inuicem distinguere necessarium duximus; vt eam inueniamus, quæ proprie nostro Quæsito conueniat. Plerique viri docti duas, alij tres, alij quatuor Creationis differentias posuere; mihi vero diu multumque propositum consideranti, sex omnino modi succurrunt, seu differentiæ, seu significationes vniuersim. Quas tum Porphyrium imitatus, qui differentiam i Præd.diff. posuit dici *i* tripliciter, nimirum *& Communiter, & proprie,* k post præd. c. de Prio. *& proprijssime:* tum *k* Aristotelem secutus, qui non solum Prioris quatuor esse modos decernit, quos ait esse, Proprijssimum, Proprium, minus proprium, & alienissimum: sed etiam alibi modos credendi duos asseruit, alterum quidem humanum, alterum vero validiorem, qui est se- l 2. cęl. t. 34 cundum eminentiam; ait enim citatis verbis: *l Videre oportet causam dicendi, quanam sit; præterea quo pacto se habeant in credendo, vtrum humano modo, an validius.* His *Creationis modi sex.* Magistris edoctus, pono sex ego differentias, siue modos creationis; quos passim obseruatos habeo tum in sacra pagina, tum apud Orthodoxos Ecclesiæ Doctores; ex quibus didici vnam esse Creationem alienissime sumptam: aliam improprie: tertiam proprie secundum quid: quartam proprie simpliciter: quintam proprijssime: sextam & postremam communiter, æquiuoce penitus, & abusiue dictam. Ceterum ante quam singulos istos modos seorsim explicemus ex diuina scriptura, Sanctisque Patribus, atque Doctoribus Orthodoxis, in applicanda Creationis vlla prædictarum differentiarum Filio Dei, cautionem illam duplicem præmittere necessarium videtur;

tur;

tur; quorum vnam habemus in Oecumenico *m* Concilio Tridentino; verbis expressis inhibente cuilibet interpretationem Sacrarum Scripturarum in alio sensu quam qui proponitur ab vnanimi consensu Patrum, & a S. M. Ecclesia Catholica in Orthodoxis Concilijs congregata; cuius vnius est determinare de vero sensu sacrarum literarum. Alteram cautionem habemus ad argumentum nostrum magis appropriatam, apud S. Thomam, quem tibi nefas est non audire, scribentem: *n Respondeo dicendum, quod sicut* o *Hieronymus dicit, ex verbis inordinate prolatis incurritur hæresis. Vnde cum hæreticis nec nomina debemus habere communia, ne eorum errori fauere videamur. Ariani autem hæretici Christum dixerunt esse creaturam, & minorem Patre, non solum ratione humanæ naturæ, sed etiam ratione diuinæ personæ. Et ideo non est absolute dicendum, quod Christus sit creatura, vel minor Patre, sed cum determinatione: scilicet secundum humanam naturam.* Quanto minus absolute dicere valeamus, Verbum, ac Filium Dei creatum, aut creaturam esse, cum Arianis in sermone communicantes apertissime? His ita præmissis, age singulos modos Creationis antea propositos diligenter explicemus, & vtrum Filio Dei conueniant, & quomodo secundum Sacræ Scripturæ sensum ab Ecclesia Catholica, communique sacrorum Doctorum consensu determinatum aperiamus.

m sess. 4. decr. de vsu sacr. lib.

n 3. p. q. 16. 8. c.

o in: f. 4. sect. di. 13. f.

De Creatione primi modi communissimi, quæ sit, & quomodo Filio Dei conuenire valeat. Cap. V.

PRimus certe modus Creationis amplissimam habet significationem, quæ cunctarum impropriissima, prorsus est æquiuoca, & (vt ait Aristoteles de quarto modo *a* Prioris) alienissima Creationum differentia; namque sumi-

a post præd.

sumitur pro qualibet mutatione cuiusque rei, etiam non essentiali, sed accidentali quauis operatione. De qua
b cap. 7. 16. sane Creatione sic agit Ecclesiasticus: *b Non aderis laboriosa opera, & rusticationem creatam ab Altissimo*: tunc enim rusticationem Deus creauit tum in statu innocentiæ hu-
c Gen. 2. manę, quando scilicet *c Tulit Dominus Deus hominem, & posuit eum in paradisum voluptatis, vt operaretur, & custodiret illum*, innocens agricola sine labore, sed cum iocunditate delectationis plantas colens: tum etiam quando post lapsum Deus extra paradisum voluptatis eiecto
d Gen. 3. 17. *d Adæ dixit: Quia audisti vocem vxoris tuæ: & comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas, & tribulos germinabit tibi: & comedes herbas terræ. In sudore vultus tui vesceris pane: donec reuertaris in terram, de qua sumptus es; quia puluis es, & in puluerem reuerteris*. Hanc itaque geminam rusticationem, tam in paradiso voluptatis iocundam, quam extra paradisum laboriosam, ait Ecclesiasticus ab Altissimo creatam, assumens Creationis vocabulum in communissima, & alienissima significatione, pro iussu exercitij agriculturæ. D. etiam Augustinus in eodem sensu de Creatione lo-
e t. 6. l. 1. c. 23. quitur, asserens *e Contra Aduersarium Legis & Prophetarum* hæc plane verba: *Creari autem, ex eo quod erat condi aliquid, vel constitui; sicut dicimus creari Magistratus, atque Vrbes; nam & illi ex ijs, qui iam homines erant, constituuntur in honoribus, quum Magistratus creantur: & ligna, & lapides, quibus construuntur Vrbes, vtique iam erant, sed nondum in illam rerum faciem, quam videmus in Vrbibus, quodam ordine & compositione venerant: quod quum fit; creari Vrbes dicuntur. Quod enim Græci appellant κτίζειν, hoc Nostri aliquando Creare, aliquando Constituere, aliquando Condere interpretantur. Quod sæpissime idem significat &* in

in illis (sacris) *literis, quod est facere; nam & fecit* f *Deus hominem ad imaginem Dei: & Deus creat* g *hominem inexterminabilem, legimus. Et si aliquando cum aliqua differentia dicitur, hoc rectius potest interesse, quod dixi, vt facere sit, quod omnino non erat: Creare autem, ex eo quod iam erat, ordinando aliquid constituere. Ideoque hoc* h *loco dictus est Deus creare mala; quoniam peccantibus ea conuertit in malum dispositione seueritatis suæ, qua bonitatis eius largitate, bona facta sunt.* & paulo post addit D. Augustinus: *i Hinc enim existimat* (hæreticus) *Deum generatorem malorum, quia dictum est, creans mala: putans, quod & Ariani putauerunt, in scripturis illis nihil interesse, vtrum generari dicatur aliquid, an creari.* Quam quidem Augustini notam inustam hæretico, contra quem differit, euitare non potest quisquis sectator fuerit opinionis nouæ non discernentis generationem æternam Filij Dei a creatione; sed hac de re latius infra suo loco. Nunc ex habitis apertum est, propositum Creare communissimi significatus, ab ipso facere ac generare proprie dictis contradistinctum, in sui ratione formali comprehendit, τὸ præsuppositum esse principium reale positiuum, permanens intimum in creato; cuius Creationis improprijssimæ præclara leguntur testimonia in sacris literis; primum quidem quando Deus creauit Mosen Deum Pharaonis, ducemque populi sui, & creauit Aaron fratrem suum prophetam eius; nam k *Dixit Dominus ad Moysem: Ecce constitui te Deum Pharaonis: & Aaron frater tuus erit propheta tuus.* & Dauid orauit: *l Cor mundum crea in me Deus: & spiritum rectum innoua in visceribus meis;* quod est dicere: Crea me iustum ex impio. Sed & in sacra pagina legitur consimile testimonium eiusdem alienissimæ creationis, quando Deus Pater Filium ab se genitum creauit principium viarum suarum, deditque illi primogenito potestatem om-

f Gen. 1. 27 Transl. 70.
g Sap. 2. 23.
h Isai. 45. 7
i in f. cap.
k Exod. 7. 1.
l Ps. 50. 12.

nem

nem in cælo & in terra, constituitque ipsum Iudicem supremum viuorum & mortuorum; etenim scriptum est. m Prou. 8. 22. m *Dominus possedit me in initio viarum suarum antequam quicquam faceret a principio: ab æterno ordinata sum, & ex antiquis antequam terra fieret.* Pagninus ex Hebræo legit: *Dominus possedit me principium viæ suæ, ante opera sua, ex eo tempore.* Septuaginta vertunt: *Dominus condidit me initium viarum suarum in opera sua.* Glossa ordinaria legit etiam ex alia translatione: *Dominus creauit me principium viarum suarum.* Quem locum primæ translationis eadem Glossa interpretatur non de generatione Verbi, sed de geniti Verbi constitutione creationeque in principium & conditorem omnium creaturarum infra Deum; ait enim: *Hucusque locutus est parabolice ad Filium: nunc vero, quia mentionem fecerat de sapientia, & non dixerat quæ esset, & quantæ dignitatis; quasi incidenter ostendit, & commendat eam secundum vtranque naturam, scilicet diuinam, & humanam, dic. Dom. &c. Dom. possedit me. Viæ Domini sunt opera, quorum consideratione ad fidem, vel eius cognitionem peruenit genus humanum. Inuisibilia enim ipsius a creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur. Viæ eius ipsæ illuminationes, per quas se & angelicis spiritibus, & mentibus ostendit humanis. In quorum initio sapientiã possedit, quia in primordio Creaturæ nascentis Filium, qui cum eo cuncta disposuerat, habuit. Sed ne aliquis putaret harum in initio viarum, vel aliquando ante tempora, Filium esse cæpisse, vigilanter adiunxit, antequam quicquam faceret a principio, ab æterno ordinata sum, & ex antiquis, antequam terra fieret, vsque dum ait: Quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens: hoc est: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Omnia per ipsum facta sunt. Pereant ergo, qui negant Dei virtutem, & Dei sapientiam, idest Christum ab*

ini-

initio, immo & ante omne, quod dici, vel cogitari potest, initium, ab ipso Patre fuisse pregenitum. Quare cum D. Augustino Glossa nunc exponit Creationem, qua Filius a Patre constitutus est secum Creator omnium, creatusque ac ordinatus ab æterno secum omnium rerum Conditor, distinctam esse ab æterna generatione Filij de substantia Patris; nam hæc æterna Filij generatio præcedit origine sui ordinationem, atque creationem in principium rerum omnium productiuum ab initio. Sic illud Matthæi de Christo dicente: *n Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra.* Gregorius Nazianzenus, & Cyrillus exponunt, quod Filius a Patre sicuti per æternam generationem accepit naturam diuinam; per acceptam in generatione diuinitatem habuit a Patre, quod Constitutus est supremæ potestatis omnium Iudex; adeoque Constitutio Creatioque potestatis huius in Filio præsupponit illius generationem, ac ab illa distinguitur ordine originis. Consimiliter exponendum est, quod ait Petrus de Iesu: *o quia ipse est, qui constitutus est a Deo Iudex viuorum, & mortuorum.* Et Ioannes: *p Pater omne Iudicium dedit Filio.* Filius enim est per æternam generationem a Patre; genitum vero iam Filium Pater ipse constituit, ordinauit, adeoque creauit Iudicem vniuersalem, tam Iustorum, qui Deo viuunt *q* per fidem bonis operibus animatam: *r* quam impiorum, qui *s* mortui sunt ad gratiam. Ita Cyrillus Alexandrinus *t* ait, *Creationem*, hanc impropriissime dictam, *esse rei existentis ac subsistentis productionem ad aliqua facienda.* Quare Creatio Filij Dei, qua constituitur omnium conditor, & Iudex supremus viuorum ac mortuorum, contradistinguitur ab æterna generatione eiusdem Filij, quam præsupponit, atque consequitur origine: proindeque Filius iam genitus ab æterno, creatus fuit conditor omnium ab

n cap. 28. 18.

o Act. 10. 42.

p cap. 5. 22.

q Rom. 1. 17. Gal. 3. 11 Hebr. 10. 38.

r Iacob. 2. 17.

s Interlin. Lyran. su. Io. 5. 22.

t 4 de Trin. & 5. Thes. c. 4.

initio ante secula; pariterque Verbum iam genitum in æternitatis momento, præordinatum fuit ab initio, tum
a Ioan.1. vt dum caro a fieret, acciperet Christus a Patre cum Diuinitate potestatem omnem in cælo & in terra: tum vt
x Maldon. in Mat. 28 18. post passionem Redemptor a morte x resurgens, crearetur & constitueretur Iudex viuorum, & mortuorum, suscipiens a Patre, præmium sanguinis sui, omne Iudicium. Quam sententiam coluere D. Hieronymus, Beda, Re-
y in Matt. c. 18. migius, & D. Thomas in aurea sua catena. Quomodocunque igitur attribuatur Filio Dei Creatio passiua secundum hunc primum modum communissimum, & alienissimum, nunquam coincidet cum eius æterna generatione, sed semper illam præsupponet, & ab ipsa contradistinguetur origine, aliter ac ponit Opinio Noua.

De secundo modo Creationis improprie dicta; qua cum generatione physica fere coincidit, vel potius coniungitur; & æquiuoce Creatio dicitur: an conueniat productioni Filij Dei vlla ratione. Cap. VI.

SEcunda vero significatio verbi *Creare*, siue secundus modus Creationis, accipitur in paulo minus ampla notione, impropria tamen, pro eo quod est producere substantiam aliquam ex præexistente principio disposito, eoque materiali atque passiuo, permanente in re creata ab agente physice operante. Quæ sane creatio æquiuoce dicta, coincidit cum generatione physica vniuersim sumpta, vel saltem cum illa coniungitur, veluti pars eius. Cuius merito, pariter improprie, ac æquiuoce, naturalem substantiæ corporeæ generationem appellamus nomine Creationis, & procreationis: quemadmodum vicissim Moses Creationes vniuoce dictas, ab se narratas, communiter ac æquiuoce nuncupauit generationes,

nes, impropriè sumpto generationis vocabulo, dum ait: * *Istæ sunt generationes cæli & terræ, quando creata sunt, in die quo fecit Dominus Deus cælum, & terram*. & LXX. *Hic est liber generationis cæli & terræ, quum facta sunt: qua die fecit Dominus Deus cælum & terram*. De creatione vero communiter & æquiuocè dicta, quæ cum generatione physica naturam habet eandem, ita non semel Aristoteles: * *Ab eo enim, qui semen fecerit, creatum id procul dubio est*: & alibi: a *Vermibus vero ipsi non parte aliqua, sicut in ouis animal creatur, sed totus vermis accrescit, & particulatim discretus formatur in speciem destinati animalis*, & alio loco: * semen *non ex cunctis secedere partibus censendum esset; sed ab agente, creatriceque tantum virtute*. b *Rursus hinc etiam poterit quispiam euidentius intueri, quod omnis natura est eius essentiæ procreatrix, qualis ipsa est; veluti stirpes, & animalia; nam vtraque gignunt, ex principijsque producunt; vt arbor ex semine; id namque principium est. Quod porro principia consequitur, ita habet; vt enim habuerint principia, ita quæ de principijs ortum ducunt*. Ex semine vero stirpes oriri, tanquam e principio, nedum actiuo, c quoad sui partem spirituosam; sed etiam materiali, quoad partem seminis crassiorem, apertè docet Aristoteles inquiens: d *Quod autem substantiæ, & quæcunque alia simpliciter entia, ex subiecto quodam fiunt, consideranti fiet vtique manifestum; semper enim est aliquid, quod subijcitur, ex quo fit quod fit; vt plantæ, & animalia ex semine*. Pariter & Auicenna formationem humani corporis in vtero, Creaturam appellauit; adeoque physicam hominis generationem insigniuit nomine Creationis, asserens: e *Secundum vero diuersitatem complexionum generum, feminæ frigidioris sunt complexionis; ideoque sunt in Creatura minores masculis*. Sed apertissime D. Augustinus in opere *Contra aduersarium Legis & Prophetarum* istam impro-

* Gen. 2. 4.
* 1. de gen. an. c. 1.
a 5. histor. c. 19.
* 1. de gen. an. c. 18.
b 1. mag. mor. c. 10.
c 2. de gen. an. c. 3.
d 1. phys. t. 62.
e l. 1. f. 1. d. 3. c. 3.

priam Creationem, a generatione physica non contra distinctam agnouit, ac explicauit inter homines vulgarem esse, dicens: f *Quæ verba (facere, & creare) si in consuetudine consideremus locutionis humanæ, & Fieri, & Creari non solum Filij, quos de semetipso quisque generat: verum etiam Magistratus dicuntur, atque Vrbes, & quæcunque alia, quæ non exeunt de gignente, sed forinsecus fiunt.* In qua quidem physica mutatione (quæ dicitur generatio quidem proprie ac vniuoce, creatio vero communiter & æquiuoce) duo sunt agentia physice, primum, ac vltimum: siue commune, ac proprium: & independens, atque dependens; de quibus euidenter Aristoteles non vno in loco; primo quidem aiens: g *Duplicia autem sunt principia mouentia physice; quorum alterum non physicum est, non enim habet motus principium in seipso; tale autem est, si aliquid mouet, quod non mouetur: vt id quod penitus est immobile, & quod omnium primum est.* Deinde vero scribens: h *Vtraque igitur mouere dicimus, & primum, & vltimum mouentium; sed magis primum; illud enim mouet vltimum, sed non hoc primum: & sine primo quidem vltimum non mouebit, illud autem sine hoc.* Deinceps etiam aiens: i *Diuinum est, vnde & alijs pendet, his quidem exactius, his autem obscurius esse & viuere.* Præterea dicens: k *Deus, & natura nihil frustra faciunt.* Insuper aiens: l *Reliquo modo compleuit totum Deus, continuam faciens generationem; ita enim maxime continuabitur ipsum esse; quia proxime est substantiæ, fieri semper generationem.* Ac tandem: m *Et homo hominem generat: præter hæc item cuncta mouens, tanquam omnium primum:* quod primum mouens in hominis generatione nuncupauerat alibi nomine Solis asserens: n *Homo enim hominem generat, & Sol: quomodo autem se habeat hæc separabilis, & quid sit, Philosophiæ primæ est officium determinare.* Quo loco nomine Solis intelligi Deum, primum

f 10.6.l.1. c.23.

g 2. phys. t.73.

h 8. phys. t.33.

i 1. cęl. t.100.

k 1. cęl. t.33.

l 2. de gen. t.59.

m 12. meta. t.24.

n 2. phys. t.26.

mum motorem; concurrentem cum causa secunda in promouenda physice generatione hominis, late pridem ostendit tractans *o De ortu animæ humanæ*. Sed & in sacra pagina legimus: *p Deum, qui te genuit, dereliquisti* (Nisi velimus hic generationis nomine Mosen vti minus proprie, ac æquiuoce ad significandam creationem, vt *q* alibi.) Ceterum in generatione physica Deus cum homine generante concurrit, tum vt causa communis gubernans atque conseruans causam secundam, & eius operationem; tum vt causa propria & proxima, producens absque generantis hominis ministerio partem animæ humanæ rationalem. Atque vt ista productio rationalis animæ a Deo sine opera secundæ causæ, vera Creatio est humanæ mentis ex nihilo; sic omnino productio reliquarum animæ partium istam præcedens, simul est generatio physica non solum ex parte Dei physice mouentis, verum etiam ex parte generantis hominis, qui parens est: & est ex parte vtriusque, Dei scilicet ac hominis generantis, Creatio communiter, & improprie; quia vtriusque causæ, tam primæ, quam secundæ, actus est tempore *r* mensurabilis, & in patiente *f* dispolito, & in propria rei nascentis materia; vt ait Aristoteles. Id tamen verum est, quod nomen Creationis huic mutationi conuenit potius ex parte primi motoris, qui mouet *t* immobilis; quam ex parte generantis hominis, qui mouendo mouetur. Quum de ratione creationis proprie sit, vt fiat ab agente penitus immobili, quod in Orientali Concilio determinatum obseruat *u* D. Hilarius; vt latius infra patebit. Porro physica generatio hominis, non proprie ac vniuoce, sed æquiuoce communiterque dicitur Creatio; quia Creationis nomen sortitur ab actione primi mouentis immobilis; a quo, tanquam ab agente non proprio, sed communi, dependet. Verum enimvero in

ista

o l. 1. c. 49.
p Deuter. 32. 18.
q Gen. 2. 4.
r 4. phys. t. 132.
f 2. de an. t. 24. 26.
t D. Tho. 4. con. gent. c. 8.
u l. de Syn. Fidei def. 5.

ista physica productione hominis, quæ communiter & æquiuoce creatio nuncupatur, actiones primi, & secundi mouentis partim conueniunt, partim dissident ab inuicem: Conueniunt quidem, tum quia vtraque causa suam actionem edit in subiecto disposito, agens in materiam proximam effectus orientis: tum quia vtriusque causæ operatio mensuratur tempore; licet actio primæ causæ non dependeat a tempore, quo mensuratur, vt actio secundæ: tum quia vtriusque causæ functio dicitur generatio, & corruptio; nempe generatio vnius, & corruptio alterius; vt ait *x* Aristoteles: tum quia vtraque causa producit effectum modo suo proprio, non alieno. Differunt autem ex aduerso, tum quia causa secunda est agens *y* vniuocum generans sibi simile secundum speciem in eodem genere; sicut ex plurimis Aristotelis locis ostendi dudum agens *z* *De spontaneo viuentium ortu*; causa vero prima physice generat effectum, cum quo non habet similem speciem, nec idem genus: tum quia causa secunda operatur dependenter a prima, a qua gubernatur in agendo, & conseruatur in esse; causa vero prima secundam conseruans, atque gubernans, est independens omnino tam in esse, quam in operari ab vlla causarum: tum quia causa secunda in agendo mouetur, & patitur; causa vero prima suam operationem edit immobilis perseuerans, & impassibilis absolute: tum demum quia causa secunda largitur effectui partem aliquam suæ substantiæ, non totam se; quum prima causa nihil omnino suæ substantiæ tribuat effectui, quem physice generat, & hoc secundo modo Creationis æquiuocæ producit. His ita constitutis, & acceptis tam e sacra pagina, quam e rei natura, plane dicendum arbitror, Istam Creationem secundi modi, improprie & æquiuoce dictam, nulla ratione penitus aptari posse Verbo Diuino;

x 1. de gen. t. 17.

y 2. de an. t. 34. 1. de gen. t. 30. & alibi passim.

z l. 2. c. 17 & seqq.

quia in æterna generatione Filij Dei ad intra nulla est causa secunda; quæ gubernetur a prima: nulla est causa communis æquiuoca, nulla est omnino materia: nullumque subiectum, passiuum, dispositum; nulla temporis successio: nulla partis producentis producto communicatio: nulla denique producentis causæ mutatio: Sed Filius Dei generatur in momento permanentis æternitatis ex immateriali & impassibili substantia Patris, qui totam suam naturam atque substantiam Filio, communicat, non partem, in illa generatione. Sic igitur Dei Filius dici non potest ab æterno creatus ad intra, communiter, ac æquiuoce sumpto nomine creationis iuxta secundum modum propositum. Quinimmo nec ista Creatio secundi modi improprie dicta, locum habet in alia productione Filij Dei, qua Verbum caro factum est, in *a* Ioan. 14. vtero Virginis humanam assumens naturam, & hominem induens; tum quia licet eam generationem promouerit Virgo parens, tanquam vera & naturalis mater Christi Domini, & vt vera causa secunda, gubernata & conseruata in eo munere a prima causa: non tamen illa functio tum primæ, tum secundæ causæ a Deo gubernatæ, facta fuit in tempore cum successione, sed tota simul in instanti temporis absoluta fuit & conceptio Christi, & organizatio totius corporis eius, & infusio rationalis animæ. Deinde quia Virgo mater corpori Christi constituendo, formandoque non subministrauit vniuersam materiam naturaliter dispositam vltima dispositione naturali; quum tota materia physice-disposita per vltimam dispositionem ad corpus humanum, sit massa constituta ex sanguine femineo, & semine vtriusque sexus; Virgo vero sine masculeo semine sola concepit, virum non *b* cognoscens. Deinceps quia Virgo non fuit ex se causa secunda partialis, viro cooperans in generatione Filij *b* Luc. 1. 34.
sui;

c ibid.35. sui; sed supernaturaliter eleuata virtute c Spiritus-Sancti ad secundam causam totalem. Insuper quia Christus Dominus factus homo non solum est eiusdem speciei cum
d Io.10.30 sua causa secunda filius hominis, sed etiam d vnum cum prima causa Filius Dei. Denique multa sunt alia, quibus contradistinguitur procreatio Christi Saluatoris in vtero Virginis, a communi creatione ceterorum hominum in ventre matris cuiusque propriæ; de quibus discriminibus late dudum egimus apud inclitum Theologorum
e cap.37. rum Siluestrum Petra-Sanctam in Secundo-Quæsitis e; quæ poteris ibi consulere. Sic ergo Filius Dei dici non debet Creatus creatione secundi modi, improprie dicta, nec apud Patrem in æterna sui generatione, nec in vte-
f Gala.4.4. ro Virginis in f plenitudine temporis a Patre Deo missus in mundum Redemptor; quum vtraque Filij Dei generatio contradistincta sit a pure-physica generatione ceterorum hominum, cum qua coincidere vidimus istam Creationem communiter acceptam in secundo modo.

De tertio modo Creationis proprie secundum quid, quomodo differat a generatione pure physica, & an conueniat Filio Dei. Cap. VII.

PORRO tertius modus Creationis propriam obtinet significationem, sed secundum quid; nam a generatione physica distinguitur solum ratione agentis, non autem ratione principij passiui. Quum enim physica generatio sit productio rei naturalis ex materia propria, patienteque disposito, prouueniens ab agente physice duplici, primo-mouente immobili, & vltimo mouente mobili dependenter a primo, sicut antea dictum est: In creatione proprie secundum quid Creatura fit ex materia propria, patienteque subiecto physice disposito; sed effi-

efficiens eius causa Deus vnus est ac trinus agens absque concursu causæ secundæ agentis, & sine motu, ac sine tempore, non physice, sed supernaturaliter. De qua Creatione proprie dicta secundum quid egit aperte Moses, explicans productionem lucis corporalis, Firmamenti, Solis, Lunæ, ceterorumque siderum in mundo cælesti. Quæ singula breuiter interpretari lubet, veluti per paraphrasim e sacris doctoribus: ait ergo Moses: *a In principio* temporis *b* vniuersi, prout ab æternitate contradistinguitur: *Creauit Deus* ex nihilo, quia coæternum Deo ante principium vniuersi temporis nihil omnino fuit; ex quo non velut ex materiali principio passiuo, sed velut ex *c* ordine æternitatis præsuppositæ a toto tempore: *Deus*, hebraica vox habet *Elohim*; quæ numerum multitudnis habet, vt indicetur in Deo Trinitas personarum; nam singulare, dicitur *Eloan:* vel numerum vtrumque retinet; singularem, quo significatur vnitas diuinæ naturæ: atque pluralem, quo trinitas personarum indicatur: *Cælum:* hebræum nomen habet *Sciamaim*; quod (vt obseruat Cornelius a Lapide) proprie vertitur, *Ibi-aqua*; nimirum his innuitur omne corpus diaphanum; nam, vt obseruat Aristoteles, *d Perspicuum autem dico, quod est quidem visibile, non autem secundum se visibile, vt simpliciter dicam, sed propter externum colorem. Huiusmodi autem est aer, & aqua, & multa solidorum: non enim secundum quod aqua, neque secundum quod aer perspicuum est: sed quoniam est natura eadem in his vtrisque, & in perpetuo illo, quod sursum est, corpore. Lumen autem est actus huius perspicui: Potentia autem, in quo hoc inest, & tenebræ. Lumen autem vt color est perspicui, quum est actu perspicuum ab igne, aut huiusmodi quale quod sursum est corpus. Etenim huic aliquid inest, vnum, & idem.* Quæ verissima theoria nos introducere potest ad intelligendam

a Gen. 1. 1.
b August. Ambr. Basil. Conc. Lateran. c. firmiter.
c D. Tho. 1. p. q. 45. 1. ad 3.
d 2. de an. t. 68 69.

historiæ Mosaicæ medullam. Profecto Moses vniuersam congeriem omnium corporum mundanam molem integrantium sub ratione diaphanorum, ab opaca terra contradistinctorum, apte nuncupauit idiomate suo SCIAMAIM: *Ibi-aquæ*; tum quod in aqua sensibilior insit perspicuitas ob sui densitatem, quam in aere, ignis elemento, & æthere superiori: tum quod aqua in illo corporum perspicuorum ordine geminum sibi locum haberet, supra, & infra Firmamentum; nam Hebræorum populo rudi texens historiam sensibilioribus vti debebat: tum etiam forsitan vt eos disponeret ad credulitatem aquarum de cælo profluxarum in vniuersali diluuio; quod infra narraturus erat. Aptissime vero vulgata, LXX; Pagninus, & omnes alij, denominatione facta a præstantiori perspicuo, totum istum ordinem corporum perspicuorum appellauere *Cælum*. Quod quidem nomen infra Moses etiam aeri tribuit, inquiens: *e & volatilibus cæli*. Quod quidem elementum aeris etiam apte connotauit vocabulo Sciamaim: *ibi-aquæ*: siquidem & aeris regio supera locus est, vbi generantur aquæ pluuiarum; & infera propter vapores aqueos a veteribus Oceani nomine circa terram assidue fluentis appellari consueuit, obseruatu Aristotelis: *f Oportet autem intelligere hunc veluti fluuium, fluere circulariter sursum & deorsum, communem aeris & aquæ; prope enim existente Sole, vaporis sursum fluit fluuius: quum autem elongatur, aquæ deorsum: & hoc perenne vult fieri, secundum ordinem. Quare, si obscure dicebant Oceanum priores, forte vtique hunc fluuium dicebant circulariter fluentem circa terram*. Sic ergo nomine Sciamaim, *ibi-aquæ*, connotatur etiam elementum aeris, vt & nomine *Cæli*. Quibus ijsdem nominibus connotatum fuit item elementum ignis; quod & vna cum cælo commune retinet nomen *ætheris*; & vna cum aqua commune possidet

e Gen. 1. 26

f 1. meteor. lu. 3. c. 1.

det

det vocabulum *fluidi*; De primo, constat Aristotelem nomen ætheris attribuisse tum igni, dum ait: *g terra quidem in aqua est, hæc vero in aere, hic autem in æthere, & æther in cælo, cælum autem non amplius in alio est*. tum cælo, dum infit: *h Quapropter tanquam altero quodam existente primo corpore, præter terram, & ignem, & aerem, & aquam, æthera appellauerunt supremum locum, a currendo semper sempiterno tempore ponentes ipsi denominationem. Anaxagoras autem abutitur nomine hoc non bene; nominat enim æthera pro igne*. & alibi: *i Cæli porro siderumque substantiam appellamus ætherem: non quidem ideo, quod ignita flagrent ipsa, vt aliqui censuerunt (plurimum vtique aberrantes circa potentiam illam maxime ab ignea natura abhorrentem) origine vero huius vocabuli inde ducta, quod semper æther currat motu circumductili*. Quo loco damnat Anaxagoram, quod ætheris nomen igni dederit ob ardorem; quum cælo commune sit, in quo nullus ardor: sed ætheris nomen ab æterna circulatione deducit, quam esse communem *k* cælo, & ignis elemento testatur. De secundo pariter Aristoteles inquit: *l Fluit autem aer circulariter, quia simul trahitur cum totius circulatione: ignis enim cum eo, quod sursum est, elemento: cum igne autem aer continuus est*. Sed & aere magis fluidus est ignis, qui rarior atque tenuior est. Vnde Virgilius elementa in ortu mundi describens canit, *m*

g 4. phys. t.46.
h 1. cæl. t.22.
i de mundo cap.2.
k 1. meteo. su.1. c.4. su.2. c.4.
l 1. meteo. su.1. c.4.
m Ecl.6.

„ Namque canebat, vti magnum per inane coacta
„ Semina terrarumque, animæque, marisque fuissent,
„ Et liquidi simul ignis: vt his exordia primis
„ Omnia, & ipse tener mundi concreuerit Orbis.

Et Lucretius etiam attributum liquidi commune fecit igni, cælo, & aeri; cui & nomen cæli communicat, inquiens *n* in descriptione tempestatis aeriæ:

n lib.4.

„ Præterea modo quum fuerit liquidissima cæli

,, Tempestas, per quam subito fit turbida fœdæ
,, Vndique, vti tenebras omneis Acheronta rearis
,, Liquisse, & magnas cæli complesse cauernas.
,, Vsque adeo tetra nimborum nocte coorta.
o lib.5. & infra Mundi constitutionem describens: *o*
,, Sic igitur terræ concreto corpore pondus
,, Constitit, atque omnis mundi quasi limus in imum
,, Confluxit grauis, & subsedit funditus, vt fæx.
,, Inde mare, inde aer, inde æther ignifer ipse,
,, Corporibus liquidis sunt omnia pura relicta,
,, Et leuiora alijs alia, & liquidissimus æther,
,, Atque leuissimus aerias super influit auras,
,, Nec liquidum corpus turbantibus aeris auris
,, Commiscet: sinit hæc violentis omnia verti
,, Turbinibus: sinit incertis turbare procellis:
,, Ipse suos ignes certo fert impete labens,
,, Nam modice fluere, atque vno posse æthera nisu,
,, Significat ponti mare, certo quod fluit æstu,
,, Vnum labendi conseruans vsque tenorem.
p lib.6. & infra de fulminum ortu dicit: *p*
,, Hac etiam fit vti de causa mobilis ille
,, Deuolet in terram liquidi color aureus ignis.
Sic igitur apte Moses voce SCIAMAIM; *ibi-aquæ* significat omnia corpora diaphana mundum integrantia, prout a terra contradistinguuntur. Sicuti denotare potuit nomine *cæli*, quod indicat XAMAIM, quam in codice Mosis legit, ac interpretatur eruditiss. Fernandus e Soc.Ies.*Cælos*. Quare nomine cæli, quod in principio temporum ex nihilo creauit Deus, intelligimus omne corpus perspicuum. *Et terram:* nempe corpus vnicum,
q Gen.1.2. simplex, opacum; quod illico describit addens: *q Terra autem erat inanis, & vacua*, nempe creata tellus erat *inanis*, absque seminibus, atque stirpibus, metallis, animali-
bus,

bus, omnique mistorum r genere: *& vacua*, omnibus alijs elementis, quorum nullum intra se continebat; nam Deus illam puram & simplicem creauit. *s Et tenebræ erant super faciem abyssi*: scilicet abyssus t Augustino est profunditas impenetrabilis, & incomprehensibilis; & fere dici solet in aquis ob ingentem u altitudinem Basilio. Quumque nondum creata luce moles ingentissima constans ex omnibus corporibus diaphanis antea creatis, propter immensam fere sui altitudinem, siue profunditatem abyssus apte nuncupata, lucis priuationem haberet; luminis autem priuatio tenebræ sint in perspicuo, sicuti nos edocuit Aristoteles; optime Mosi *Tenebræ* tunc *erant super faciem abyssi*: tegentes profundissimam corporis omnis diaphani molem. Additur: *x Dixitque Deus: Fiat lux: & facta est lux*: vere creatio ista lucis edita fuit ad imperium diuinæ vocis, non ex nihilo, sed ex diaphano cælesti condensato; nam portio perspicui, non aeris, aut aquæ condensata coit in lucem, sed cæli solum, aut ignei elementi; quemadmodum nos olim fuse probauimus in opere *y De Nouis astris & Cometis*: ceterum illarum lucum productio fuit mere physica generatio, quum prodierit a causis etiam infra Deum physice operantibus, iisdem Deo physice cooperante: sed primæ lucis origo fuit proprie dicta Creatio secundum quid: Creatio quidem, tum quia facta fuit a Deo sine concursu causæ secundæ: tum quia facta fuit a Deo supernaturaliter agente in momento temporis, non physice mouente: tum quia peracta fuit a Deo iubente, qua Dominus Deus est, non sub ratione primi motoris. Est autem ista creatio secundum quid, eo quod est creatio ratione Creatoris agentis, non autem causæ materialis patientis; nam diaphanum est patiens physice-dispositum, & materia naturalis ad induendam essentiam & naturam

r Caiet.
s Gen. 1. 2.
t sup. Ps. 41
u Basil.
x Gen. 1. 3.
y l. 5. c. 52. & seqq.

turam

turam lucis: Vt eadem materia diaphani tum caussarum secundarum, primique mouentis actione physica sit subiectum ex quo physice lux generari potest; vt fit in astris nouis atque cometis; quæ non creari proprie, sed generari physice dicuntur: tum solius primæ causæ supernaturaliter imperantis itidem subiectum dispositum sit, ex quo lucidum corpus in momento sola iussione Diuina vere creari, non physice generari constituitur. Ita ergo Deus vere ac proprie creauit, non generauit lucem, dum iussit lucem fieri, ad eius imperium condensata parte perspicui cælestis in materiam lucidam; alia parte relicta sub pristina raritate tenebrosa; quod indicauit Moses, addens: *o & diuisit lucem a tenebris: appellauitque lucem diem, & tenebras noctem. Factumque est vespere & mane dies vnus.* Quia scilicet, initio primæ diei creauit Deus molem omnium corporum diaphanorum, sub nomine cæli, vel ibi aquæ, & ipsam terram; deinde creauit ex parte diaphani, sola iussione condensati lucem, quam diem appellauit, relicta parte alia rara seiuncta prorsus a condensata lucida, quam raram sine luce tenebrosam appellauit noctem; ex quibus duabus vnus dies integer naturalis factus est, ex vespere tenebroso, & post eum sequente mane lucido; nocte partem illam telluris obumbrante, supra quam cæli pars rara tenebrosa foret; die vero terræ partem illam illuminante, supra quam versaretur lucida cæli portio condensata; & quia condensatio consecuta fuit præcedentem raritatem, proinde factum fuit in prima die vespere prius quam mane. Quem locum fortasse respiciens *p* Aristoteles, asseruit. *Theologos ex nocte cuncta procreare.* Secunda vero die Deus eodem genere creationis ex materia illa diaphana fecit cælum proprie dictum nomine Firmamenti, substantiam eius vnico suæ iussionis imperio firmans in compactio-

o Gen. 1. 4. 5.

p 12. meta. t. 30.

ctiorem consistentiam vniformiter; quam constitutionem creationemque firmamenti, prout ab alijs corporibus diaphanis aquarum, aeris, & ignis contradistinguitur, Moses aperit addens: *q Dixit quoque Deus: Fiat Firmamentum in medio aquarum: & diuidat aquas ab aquis. Et fecit Deus Firmamentum, diuisitque aquas, quæ erant sub Firmamento, ab his quæ erant super Firmamentum. Et factum est ita. Vocauitque Deus Firmamentum, cælum. Et factum est vespere & mane dies secundus.* Nempe Firmamenti nomine non est hic, vt Astronomi faciunt, intelligenda sola sphæra supra planetas octaua, sed vniuersum cælum aggregatum ex omnibus orbibus ab aquis & elementis alijs contradistinctum; quod isto secundo die creatum dicitur, quia materia substantiæ suæ iussione Diuina magis est vniformiter addensata, magisque discreta a ceteris corporibus diaphanis, quæ prius communiori vocabulo sub cæli nomine comprehensa fuerant in primo die; quum in hoc secundo cæli nomen approprietur vni Firmamento, ex æthereis orbibus constituto, ac inter aquas elementares & supercælestes collocato. Quæ quidem Creatio proprie dicta est, sed secundum quid; quia solum ex parte Dei supernaturaliter agentis, ac ex imperio suæ voluntatis fieri Firmamentum iubentis, prouenit; non autem ex parte materiæ, quæ naturaliter disposita erat ad cæli naturam induendam. Deinceps autem die quarto Deus eodem genere Creationis ad imperium simplicis voluntatis suæ, condensans adhuc in formas globosas diuersas orbium Firmamenti partes, ex materia disposita diaphani cælestis, creauit Solem, Lunam, & alia sidera cuncta; quod ita dicit Moses: *r Dixit autem Deus: Fiant luminaria in Firmamento, & diuidant diem ac noctem: & sint in signa, & tempora, & dies, & annos: vt luceant in Firmamento cæli, & illuminent terram. Et factum est*

q Gen. 1. 6. 7. 8.

r Gen. 1. 14. 15. 16. 17. 18. 19.

est ita. Fecitque Deus duo luminaria magna, luminare maius vt praesset Dei, & luminare minus vt praesset nocti, & stellas; & posuit eas Deus in firmamento cæli, vt lucerent super terram, & praessent diei ac nocti, & diuiderent lucem ac tenebras. Et vidit Deus quod esset bonum. Et factum est vespere & mane dies quartus. Porro sicuti species eadem creationis est, qua Deus imperio simplici suæ voluntatis creauit & primo die lucem illam communiter, & quarta die postea corpora magis lucida Solis, Lunæ, reliquarumque stellarum, omnia ex materia diaphana disposita

s Ps. 135. 7. naturaliter ad essentiam lucis induendam; quia *s Omnia quæcunque voluit, Dominus fecit in cælo, in terra, in mari,*

t Ps. 148. 6. *& in omnibus abyssis: t Quia ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt.* Ita sane lux illa prima solum diuisit lucem a tenebris, diem a nocte; sed ista siderum & luminarium intensior, perfectiorque, non solum segregauit diem a nocte, sed etiam distincte præfuit diei & nocti, signaque statuit, determinauitque temporum vices. Ista vero creatio siderum omnium, vt & primæ lucis in cælo, proprie dicta secundum quid, ab imperante Deo ex materia præexistente disposita, nullam aliam similem habet; potissimumque Dei Filio conuenire non potest; quia si temporalem Christi productionem consideremus, primo quidem absolute Christus productus est non a solo Deo, quia Virginem Matrem actiue u concurrisse certum est in formatione corporis, vt aliæ veræ naturalesque matres concurrunt: quin & vlterius vt eleuatam obtinens a Deo suam vim generatiuam ad potestatem virilis efficientiæ; quod x alibi fusius ostendimus: in creatione vero stellarum tota efficientia penes Deum Creatorem fuit, sine concursu causæ agentis vllius secundæ. Deinde vero, quia in creatione siderum & firmamenti Deus imperio solo suæ voluntatis vsus est: in produ-

u Mag. 3. sen. d. 3. p. 1. D. Bonau. 3. p. q. 33. 2. C. Damasc. 3. de orth. Fi. c. 4.

x de fecũd. Quæst. c. 37.

ductione vero Christi voluntas & consensus Virginis Matris y locum principalem habuit, se se conformans voluntati Dei. Deinceps autem, quia in creatione stellarum, & firmamenti præfuit materia naturaliter plene disposita, substantia corporis ætherei diaphana: sed in productione humanitatis Christi materia de sola Matre Virgine prodiens absque semine viri, non fuit physice plene disposita ad induendam humanam naturam, sed oportuit eam supernaturaliter a Deo eleuari ad necessarias dispositiones vltimas, quas physice conceptui tribuere potest virile semen. Itidem si spectemus æternam Verbi generationem, ea non potest esse proprie dicta Creatio secundum quid, qualis extitit Creatio siderum; primo quidem quia Creator producens astra, firmamentum, Solem, atque Lunam fuit Deus in vnitate substantiæ tribus personis adoratus; at Filium ab æterno genuit sola persona Patris, prout relatione contradistinguitur a Filio genito simul & a Spiritu-Sancto. Deinde vero, quia Deus astra, firmamentumque creauit præcipue voluntatis z actione, imperiosa nimirum iussione; siquidem *ipse dixit, & facta sunt: ipse a mandauit, & creata sunt:* & *omnia quæcunque voluit;* b *Dominus fecit in cælo*. Sed productio æterna Verbi non est formaliter actio Diuinæ voluntatis imperantis, non iussio Domini; verum naturalis actio Diuinæ mentis, Patris nimirum semetipsum c intelligentis. Deinceps autem, quia in illa creatione siderum & firmamenti præfuit principium passiuum, materiaque disposita, quam Deus imperiosa iussione mandauit in lucida d corpora condensari: sed in productione Verbi nulla præfuit materia, nullumque subiectum, principiumve passiuum, ex quo proprie ac vere creari potuisse dicatur. Denique vero creatio siderum illa peracta fuit in momento temporis iam elapso, dum Mun-

y Luc. 1.
z Ps. 113.
a Ps. 135. 7.
b Ps. 148. 6.
c D. Tho. 1. p. q. 34. art. 2. & alibi passim.
d Gen. 4.

dus ab initio seculi primi crearetur: productio autem Verbi fit in æternitatis momento stabili; quod aperte
Ps.2.7. Dauid indicans ait in persona Verbi diuini: *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu: ego hodie genui te*. Sic ergo nec ista creatio proprie secundum quid aptari potest vlla ratione Filio Dei.

De quarto modo Creationis proprie simpliciter, quæ contradistinguitur a generatione pure physica tum in actiuo principio, tum in passiuo, quod in ista creatione non est absolute dispositum: an Filio Dei conueniat vlla ratione. Cap. VIII.

QVartus autem modus Creationis proprie simpliciter, in eo contradistinguitur a generatione mere naturali; quia generatio pure physica fit ab agente tum vniuersali primo, tum particulari secundo, naturaliter
a 2. phys. t. 73. *a* operantibus in tempore cum motu circa patiens dispositum, *b* & propriam cuiusque materiam; vt edocet Aristoteles non vno in loco.
b 2. de an. t. 24. 26. Creatio vero proprie simpliciter, non æquiuoce, sed ad summum analogice dicta, pendet ab agente primo solum, eoque supernaturaliter operante, sine motu, in instanti, circa patiens non vltimo dispositum, materiamque non omnino physice præparatam. Ac sane de ista Creatione proprie dicta simpliciter frequenter loquitur sacra pagina, quia creatæ fuerunt in exordio mundi sic omnes animantes, plantarum omnia genera, volucrum cunctæ species, piscium, terrestriumque brutorum omnes gradus, & homines; nam die tertio creauit Deus cunctarum stirpium ordi-
c Gen. 1. 11. 12. nes; quando iussit aridæ telluri ab aquis segregatę: *c Germinet terra herbam virentem, & facientem semen, & lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus suum, cuius semen in semetipso sit super terram. Et factum est ita: Et protulit terra her-*

herbam virentem, & facientem semen iuxta genus suum, lignumque faciens fructum, & habens vnumquodque sementem secundum speciem suam. Quæ quidem prima stirpium origo, non fuit generatio physica plantarum ex materia naturaliter disposita, sed supernaturalis creatio stirpium ex materia indisposita, a summo Deo solum imperante, proindeque supernaturaliter agente, sine concursu causæ naturalis efficientis vllius propriæ; nam terra tunc erat *d* arida, inanis, & vacua cunctis tum mistis, tum herbarum speciatim arborumque seminibus; quæ materiam esse dispositam ad physicas animalium, & plantarum generationes, edocet *e* Aristoteles: quum terra tunc supra sui naturam protulerit herbas, & germinauerit omnes plantas vnico Dei iussu, ad quas edendas in se non habebat vllam materiam seminis, aut misti alius physice dispositam. Disposita namque tellus ad physicam generationem arborum atque plantarum, arida non est, vacua semine non est; quippe in aridis Arabiæ desertæ locis, & alijs consimilibus, terra sterilis est, quia inaquosa. Verum etiam terra dispositionem naturalem vltimam ad plantas habet non ex aqua sola, verum ex fimo, ac e succo pingui, vt ait *f* Aristoteles: efficiens vero causa physica proxima plantarum, est earundem semen, quo ad sui portionem *g* spirituosam, quo semine tunc omnino terra caruit inanis, & vacua. Quocirca prima stirpium origo non fuit physica generatio ex materia disposita, & efficiente naturali eiusdem speciei; sed proprie dicta Creatio simpliciter a summo Deo supernaturaliter agente cum imperio circa materiam indispositam. Consimiliter die quinto creauit proprie simpliciter ex aquis pisces & aues, dum *h* *Dixit etiam Deus: Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile super terram sub firmamento cæli. Creauitque Deus cete grandia, & omnem*

d Gen. 1. 2.
e 1. phys. t. 61.
f 2. de gen. t. 50.
g 2. de gen. an. c. 3.
h Gen. 1. 20. 21.

animam viuentem atque motabilem, quam produxerant aquæ, in species suas, & omne volatile secundum genus suum. Nimirum ista piscium & auium origo prima, fuit non ex semine de materia disposita generatio physica, sed ex iussu Dei de materia indisposita supernaturalis creatio simpliciter proprie dicta; nam aquæ simplices illæ fuerunt in principio recens ex nihilo creatæ, nullo perfusæ semine prolifico, nulla præditæ materia mista physice disposita proxime ad originem naturalem auium, atque piscium; quam illis iam supernaturaliter creatis illico Deus imperauit; nam *i Et vidit Deus quod esset bonum: Benedixitque eis dicens: Crescite, & multiplicamini, & replete aquas maris: auesque multiplicentur super terram: Et factum est vespere & mane dies quintus.* Eadem quoque ratione proprie simpliciter ex materia indisposita creans cum imperio *k Dixit quoque Deus: Producat terra animam viuentem in genere suo, iumenta, & reptilia, & bestias terræ secundum species suas. Factumque est ita. Et fecit Deus bestias terræ iuxta species suas, & iumenta, & omne reptile terræ in genere suo. Et vidit Deus quod esset bonum, & ait: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram: & præsit piscibus maris, & volatilibus cæli, & bestijs, vniuersæque terræ, omnique reptili, quod mouetur in terra. Et creauit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creauit illum: masculum & feminam creauit eos.* & mox; *l Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ.* & adhuc infra: *m Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam; cumque obdormisset, tulit vnam de costis eius: & repleuit carnem pro ea. Et ædificauit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem: & adduxit eam ad Adam. Dixitque Adam: Hoc nunc, os ex ossibus meis, & caro de carne mea: Hæc vocabitur Virago, quoniam de viro sumpta est.* Et alibi: *n Deus creauit de terra hominem: & secundum ima-*

i Gen. 1. 22.23.
k Gen 1. 24.&seqq.
l Gen. 2. 7.
m Gen. 2. 21.& seqq.
n Eccli. 17 1.

imaginem suam fecit illum: & apud Tobiam: *o Domine Deus patrum nostrorum, benedicant te cæli & terra, mareque, & fontes, & flumina, & omnes creaturæ tuæ, quæ in eis sunt. Tu fecisti Adam de limo terræ, dedistique ei adiutorium Euam.* o cap. 8. 7. 8.
Hæc itaque primorum animalium, & hominum origo de terra illa in exordio mundi prorsum inani seminibus, & vacua penitus omni substantia mista, quæ proxima posset esse materia, & dispositum patiens ad originem animalium promouendam; non fuit generatio naturalis ab agente physico circa subiectum patiens proprijs dispositionibus exacte præparatum; sed proprie dicta Creatio simpliciter a summo Deo supernaturaliter agente cum imperio, formanteque iussione sua cunctas animantes de materia indisposita; cuiusmodi terra fuit illa prima vacua, & inanis. Quin & Adami costa non fuit materia physice disposita, ex qua naturali generatione posset Eua mulier exoriri; namque talis materia est sanguis maternus, & semen vtriusque sexus humani, non autem os & caro viri, sine sanguine semineque mulieris. Quotiescunque igitur Deus absque concursu causæ secundæ coagentis, producit ex materia non vltimo-disposita quidpiam, huius rei productio non est vere generatio physica, sed proprie dicta Creatio simpliciter; quæ contradistinguitur in multis a naturali generatione; tum quia generatio pure physica fit ab efficiente causa secunda vniuoca, gubernata semper a primo efficiente communi rerum omnium; ista vero creatio fit solum a prima causa, sine concursu secundi efficientis, vniuoci proprij, vel vllius, vel adæquati, siue totalis: tum quia generationem physicam promouet primum mouens, vt agens physice non physicum, Aristoteli: *p* sed creationem hanc ex materia non disposita facit Deus vt naturæ Dominus iubendo, & supernaturaliter agens, non physice: tum p 8. phys. t. 73.
quia

quia productionem physicam, generationemve naturalem molitur causa prima & secunda efficiens, cooperantes in tempore, *q* decreto Philosophi, quod ostendi su-
q 4. phys. t. 132.
r 2. de nat. & effic. luminis c. 8.
fius *r* alibi, non autem in momento; licet cum eo discrimine, quod causa secunda operatur in tempore dependenter ab eo; causa vero prima secundæ cooperatur in tempore non dependenter a tempore; sed creatio rerum ex materia indisposita fit a Deo solo non in tempore, sed in momento temporis agente: tum quia generatio physica fit semper ab agente in materiam propriam rei generandæ, ac in subiectum patiens vltimo dispositum naturaliter ad induendam formam rei generandæ, vt ait Aristoteles; *s* Creatio vero ista proprie dicta simpliciter non
s 2. de an. t. 24. 26.
exigit materiam patientem vltimo dispositam, sed exercetur a Deo circa materiam indispositam: tum demum, quia generatio physica fit ab agente tam primo quam secundo, realiter operando physice, non sola voluntatis imperiosa iussione; sed creatio proprie dicta simpliciter ex materia non disposita fit a solo Deo iubente cum imperio Dominij; quod agnoscens Dæmon, vt certus fieret an Christus esset vere Deus, ipsum tentans in de-
t Matt. 4. 3
serto dixit: *t Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant*;
u cap. 4. 3.
& apud Lucam, *u Si filius Dei es, dic lapidi huic vt panis fiat:* Ad istam autem creationem ex materia indisposita redigere videtur Lyranus illud oraculum sapientiæ,
x cap. 11. 18.
x Non enim impossibilis erat omnipotens manus tua, quæ creauit orbem terrarum ex materia inuisa: siquidem id explicat *de materia prima, quæ per se non est cognoscibilis, quum sit potentia pura*. & reuera, si reperiretur aliquando mate-
* 7. meta. t. 8.
ria prima, in pura potentia; quam * Aristoteles definiuit *esse non quid, non quale, non quantum, neque aliquid alind vllum entium determinatorum, neque negationes horum*: nihil ex illa generari physice valeret; quoniam

actus

actus actiuorum y Aristoteli natus est fieri solum in patiente disposito, & in propria vniuscuiusque materia: modo materia prima non habet vllas ad vllam rem dispositiones, nec est vllius propria, sed communis est omnium materia, de se indisposita; quare nihil ex illa nuda physice generari potest; sed solum ab omnipotenti Dei manu supernaturaliter agente potuit orbis terrarum de materia prima proprie creari simpliciter, sed huius oraculi declarationem infra latiorem afferam. Dum vero quæritur, an hoc genere creationis productus fuerit Filius Dei, cum distinctione respondendum est; quia Filius Dei duplicem habet productionem, vnam quidem ab æterno secundum puram sui Diuinitatem, alteram in plenitudine temporum quoad humanitatem assumptam, qua *Verbum* z *caro factum est*. Si quidem agamus de secunda ista, communiter omnes orthodoxi Patres, & nos cum eis asserimus, Christum Dominum proprie creatum simpliciter fuisse a Deo ex materia non vltimo physice disposita; quoniam in productione Christi, veri hominis, materia, ex qua formatum fuit corpus illud humanum, non fuit naturaliter ad ipsum vltimo-disposita, sed indisposita, siquidem Virginis materia sine semine virili physice disposita non est ad concipiendum; quia virginitas de se sterilis est, & infecunda: Quare productio Filij de Matre Virgine sine viri copula, non est generatio physica, sed proprie dicta Creatio simpliciter mortalis hominis de sola muliere ab omnipotente Deo supernaturaliter agente. Quod Virgo sciens, dum audisset ab Angelo, se concepturam in vtero, parituramque Filium, recte a dubitauit, quomodo fieri posset istud, quoniam propositum ex voto sibi foret in virginitate permanere, virumque carnali copula non cognoscere: cui respondens Angelus: *Spiritus Sanctus superueniet in*

y 2. de an. t. 24. 26.

z Io. 1. 14.

Christi creatio explicatur.

a Luc. 1. 31 & seqq.

te,

te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi: Ideoque quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei: sustulit omnem dubitationem, ostenditque fore Filij sui proprie dictam Creationem simpliciter a summo Deo ex materia virginali, non habente pure physicam & proximam dispositionem sine viri semine ad humanum conceptum, & ad

b 2. de gen. an. c. 4. mere-naturalem Filij sui generationem; Aristotele *b* repetente, masculi coniugium esse necessarium feminæ ad conceptionem physicam, & ad prolis perfectam generationem, his plane verbis: *Impossibile est vt femina ex seipsa animal generet, vbi mas a femina separatur.* & mox: *At vero in quibus sexus maris & feminæ distinctus habetur, fieri non potest vt femina ipsa per se generet perfecte;* nam imperfectam molam generare potest. Quare Christi productio non fuit mere physica generatio, quum sine viri semine peracta fuerit, sed proprie dicta Creatio simpliciter ex materia sola Virginis. Quam sententiam tum

c cap. 31. 22. aperte protulit Ieremias, inquiens: *Quia creauit Dominus nouum super terram, femina circundabit Virum!* Vbi scribit Interlinearis: *Nota, quia natiuitas Saluatoris, & conceptio Dei dicitur Creatio: Femina Maria circumdabit gremio vteri virum absque viri semine: ecce vir oriens nomen eius, a conceptu; quia iuxta incrementa ætatis per vagitus & infantiam proficere videbitur, sapientia & ætate; sed perfectus vir in ventre femineo solitis mensibus continebitur.* & Lyranus: Id est *Incarnationis mysterium. & loquitur de futuro per modum præteriti propter certitudinem prophetiæ.* & mox: *Femina circundabit virum, quod fuit impletum in Maria, quæ Christum virum perfectum scientijs & virtutibus ab instanti incarnationis in vtero suo circumdedit.* Quin & ex

d 3 de orth. Fid. c. 4. e 3. sent. di. 3. p. 1. *d* Damasceno Magister *e* ait: *Post consensum autem Sanctæ Virginis Spiritus-Sanctus superuenit in eam secundum Verbum Domini, quod dixit ei Angelus, purgans ipsam, & poten-*

ten-

tentiam Deitatis Verbi receptiuam præparans, simul autem & generatiuam. Et tunc obumbrans ipsam per se Dei altissimi sapientia & virtus existens, idest Filius Dei Patris homusios, idest consubstantialis, sicut diuinum semen. Et copulauit sibi ipse ex sanctissimis & purissimis ipsius Virginis sanguinibus, nostra antiquæ conspersionis carnem animatam anima rationali & intellectiua, non seminans, sed per Spiritum-Sanctum creans. Immo similiter explicantes orthodoxi Patres illud oraculum Ecclesiastici: *f Ego ex ore altissimi prodiui primogenita ante omnem creaturam.* & mox: *Tunc præcepit, & dixit mihi Creator omnium: & qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo, & dixit mihi: In Iacob inhabita, & in Israel hæreditare, & in electis meis mitte radices. Ab initio & ante secula creata sum & vsque ad futurum seculum non desinam, & in habitatione sancta coram ipso ministraui. Et sic in Sion firmata sum, & in ciuitate sanctificata similiter requieui, & in Hierusalem potestas mea. Et radicaui in populo honorificato, & in parte Dei mei hæreditas illius, & in plenitudine Sanctorum detentio mea. &c.* & apud *g* Bellarminum, *h* Athanasius, *i* Nazianzenus, *k* Cyrillus, *l* & Augustinus, admonent quoad verba illa *creauit me*, Christi naturam humanam explicari. D. Thomas etiam sequentia Christi adaptat humanitati, dicens: *m Potest referri ad naturam creatam, assumptam a Filio: vt sit sensus. Ab initio & ante secula creata sum, idest præuisa sum creatura vniri.* Et reuera locus iste non potest intelligi de Filio Dei ad intra, sed solum de Christo Filio Dei humanato, qui solus in Iacob inhabitauit, radicauit in populo honorificato hebræorum, & misit radices in electis Dei nascens ex Virgine de *n* radice Iesse, requieuit in Hierusalem moriens, * ministrauit Euangelium docens in sancta ciuitate, fecitque multa prodigia ibidem, & alia quæ Diuina sapientia de se dicit in isto capite. Quæ non animad-

f cap. 24. 5. 12. & seqq.
g 1. de Christo. c. 18.
h ser. 3. cōt. Arian.
i Orat. 4. de Theol.
k 5. thesau. c. 4. 5. 6. 7.
l 1. de Trin. c. 12.
m 1. p. q. 41. 3. ad 4.
n Isai. 11. 1.
* Rom. 15. 8.

uertiſſe videtur Arius, neque Noua Opinio ponens hoc oraculum haberi de Verbo ad intra producto. Similiter
o C.45.8. Iſaias de Christo prophetauit inquiens: *o Rorate cæli deſuper, & nubes pluant iuſtum; aperiatur terra, & germinet Saluatorem: & iuſtitia oriatur ſimul. Ego Dominus creaui eum.* Vbi Gloſſa ordinaria dictum explicat *de aduentu Chriſti, qui germinatus de terra legitur ſecundum humanitatem*. Apertius Interlinearis: *Veniat Gabriel, mittat vobis rorem, ſcilicet annunciet ſalutem, nunciando Chriſtum. Veritas de terra orta eſt &c. Maria ad credendum: & germinet Saluatorem Ieſum. Ego Dominus Pater creaui eum ſecundum humanitatem*. & Lyranus: *Terra iſta germinans Saluatorem eſt B. Virgo concipiens Saluatorem mundi, non virili ſemine, ſed virtute Spiritus-Sancti, tanquam rore cæleſti. Et quia principalis intentio prophetæ eſt hoc ſignificare, ideo ſub iſto ſenſu hanc autoritatem allegaui in aliquibus locis. Et iuſti: id*
p Io.1.17. *eſt gratia iuſtificans*. p *Gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt. Ego Do. Quantum ad humanitatem, quæ eſt Creatura Dei*. non quidem ſolius Patris, verum Dei Trini; quia Dei operatio quælibet ad extra eſt indiuiſa, communis tribus perſonis diuinis: ac ſpeciatim iſta creatio humanitatis Chriſti; nam etſi terminata fuit ad vnicam
q Io.1.14. perſonam Verbi, quod ſolum *q caro factum eſt:* & humanitatem de Virgine ſibi aſſumpſit: attamen in creatione talis humanitatis de materia Virginis vtcunque-indiſpoſita, vtpote ſine viri ſemine, ſimul agentis ſupernaturalis vim exercuerunt omnes diuinæ perſonæ. Quarum trium perſonarum aperte meminit Angelus, Virgini declarans modum conceptionis abſque viro, proindeque
r Luc.1.35 creationem humanitatis Filij ſui: dicit enim: *r Spiritus-Sanctus ſuperueniet in te: & virtus Altiſſimi*, quæ Filius eſt, *obumbrabit tibi: Ideoque quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius Dei* Patris. Verum & de hac humanitatis Domi-

Domini proprie dictâ Creatione Dauid etiam cecinit: *f* Terra dedit fructum suum. Benedicat nos Deus, Deus noster, Benedicat nos Deus: & metuant eum omnes fines terræ. *f* Psl. 66. 7. 8.
Vbi D.Hieronymi Glossa: *Terra dedit fructum suum, Maria Christum. Et in hoc semine benedicat. Hæc terra de nostro limo, de nostro luto, de Adam, dedit florem primum, qui ait: t Ego flos campi & lilium conuallium. Iste ergo flos fructus factus est, vt illum ederemus, vt carnem eius manducaremus: Iste ergo fructus est Virgo de Virgine, Dominus de ancilla, Deus ex homine, filius ex matre, fructus de terra.* & mox: *Deus ter, Trinitas: eum, vnitas* est. Et Interlinearis: *Benedicat nos Deus Pater, Deus noster, non Gentium, Filius:* qui de semetipso dixit: *u Non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt Domus Israel:* nempe corporali missione, vt ait Interlinearis: & Lyranus; *quia Christus erat primo & principaliter missus Iudæis, tanquam Apostolus eorum. Et ideo in propria persona non prædicauit nisi Iudæis, non fecit miracula nisi in casu ex aliqua speciali causa, vt scilicet ostenderet Ecclesiam in fide gentium esse fundandam, sicut habetur hic, & Io. 1v. vbi Christus prædicauit Samaritanis deuote eum recipientibus. Post mortem autem Christi fides prædicata est publice gentilibus. Et hoc est, quod dicit Apostolus: x Dico autem Christum Iesum ministrum fuisse circumcisionis, scilicet Apostolum Iudæorum, propter veritatem Dei ad confirmandas promissiones Patrum. quia antiquis patribus Iudæorum fuerat facta promissio de Christo, sicut Abrahæ & Dauid.* Quare per Deum nostrum appropriate Dauid in psalmo *y* signat personam Filij: & addens tertio: *Benedicat nos Deus*, ex Interlineari, signatur *Spiritus-Sanctus. Et metuant eum*, vnum Deum in Trinitate personarum, *omnes fines terræ*. Quod in creatione humanitatis Christi de materia virginali causa efficiens fuerit Deus trinus & vnus. Et alibi: *z Veritas de terra orta est: & iustitia de cælo prospexit. Et-*

t Cant. 2. 1

u Matt. 15. 24.

x Rom. 15. 8.

y 66. 8.

z Psl. 84. 12

enim Dominus dabit benignitatem: & terra nostra dabit fructum suum. Vbi ex Augustino, & Hieronymo Interlinearis: *Ipse de femina natus est, vt iustitia de cælo prospiceret, idest iustificarentur homines: sic enim Veritas habet, quod pro iustificandis offerret*. & Lyranus: *Hic describit modum natiuitatis Christi, quia natus est de Virgine: & hoc est, quod*
a Io. 14. 6. *dicitur, Veritas, idest Christus, qui de seipso:* a *Ego sum via, veritas, & vita: De terra orta est, id est de Virgine, quæ terra vocatur: Aperiatur terra, & germinet Saluatorem: Illa enim, quæ oriuntur de terra, non oriuntur ex commistione maris & feminæ: & sic beata Virgo concepit, & peperit sine virili consortio. Et propter hoc de isto conceptu & ortu prædixit*
b cap. 53. 2 b *Isaias: Ascendet sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terra sitienti, idest de Virgine non fecundata semine virili. Et secundum Doctores catholicos, & Hebræos cap. 53. Isaias loquitur de Christo. Et iustitia de cælo prospexit, idest Pater, vel tota Trinitas disposuit vt Dei Filius acciperet de Virgine carnem; & sic per viam iustitiæ homo verus satisfaceret, sicut primus homo Deum offendit. Consequenter ostenditur, qua virtute beata Virgo fuit fecundata, quum dicitur: Etenim Dominus dabit benignitatem, id est gratiæ suæ plenitudinem non solum ad sanctificationem mentis Virginis, sed etiam quantum ad fecunditatem ventris. Et terra nostra, id est beata Virgo intemerata, dabit fructum suum*. Sed & Isaias item euidentissime de Christo, vel secundum Hebræos, & de
c cap. 53. 2 Maria inquit: c *Quis credidit auditui nostro? & brachium Domini cui reuelatum est? Et ascendet sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terra sitienti*. Nam arida terra, quæ sitiens dicitur, humore destituta, non germinat physice stirpes; ast opus est Dei virtute supernaturaliter agente, quæ ex illa materia indisposita plantas absolute creet
d Gen. 1. 11. 12. proprie, sicut d olim ab initio mundi. Sic ipse Christus a Deo De Virgine creatus est, non humectata, neque

fe-

fecundata virili semine, sed sola virtute Diuina supra naturæ vires operante circa materiam non vltimo physice dispositam. Quæ vera & propria simpliciter creatio fuit humanitatis Christi Saluatoris ex materia virginali. Verum enimvero rem intime prospicienti, productio Christi quoad humanitatem in vtero Virginis minus de creationis proprie simpliciter natura participauit, quam creatio tum Adami de limo terræ, tum Euæ de costa viri; tum stirpium & animalium primorum de terra, & de aquis; etenim illa primorum viuentium productio fuit simplex creatio proprie tam ex parte agentis, qui fuit vnus Deus cum imperio iubentis; quam ex parte materiæ, quæ fuit omni dispositione vltima carens ad illa viuentia; quum productio Christi in vtero Virginis etsi respectu Dei creatio fuerit; attamen respectu Virginis, quæ fuit vera, & naturalis mater filij sui, generatio physica dicenda nobis est, non proprie creatio totalis; tum quia non ex sola simplici voluntate Dei iubentis peracta fuit; sed accessit necessario consensus Virginis: tum quia tota actio non fuit solius Dei supernaturaliter operantis; at etiam virgo mater physice munere suo fungens operata est, adimplens officia matris naturalis: tum etiam quia materia virginei sanguinis, ac seminis non fuit secundum totum indisposita, sed obtinuit proximas dispositiones ad humanitatem producendam partiales, nimirum maternas, si non totales, quæ consurgunt ex maternis atque paternis. Quare vere productio humanitatis Christi respectu matris fuit physica generatio; respectu Dei matri physice cooperantis vt prima causa gubernans istam secundam, fuit etiam naturalis generatio, sicut aliorum hominum; at respectu Dei supernaturaliter agentis in materiam non omnino dispositam, & momento temporis operantis, extitit Creatio proprie simpliciter.

Vt absolute dicendum sit productionem humanitatis Christi non esse puram atque simplicem Creationem supernaturalem, neque puram & simplicem generationem naturalem, sed actionem mediam consurgentem ex proprie dicta Creatione simplici respectu Dei, & ex naturali generatione respectu Virginis matris a prima causa gubernatæ in suo conceptu, sicut aliæ mulieres. Quam sententiam profitetur * D. Thomas. Quod autem attinet ad æternam illam Filij Dei productionem ad intra, num illi conueniat ratio Creationis huius proprie simpliciter appellatæ, nec ne: controuersa res est, vt optime scis, inter Theologos æui nostri. Recens opinio, hactenus inaudita, partem affirmatiuam sustinet, ex allatis antea Mosis autoritatibus, & alijs, definiendum existimans Creationem Theologice sumptam, esse productionem rei ex principio substantiali præsupposito, permanente in re producta: proindeque Verbum proprie simpliciter esse creatum ab æterno, quod productum fuit ex substantia Patris, tanquam ex principio substantiali præsupposito via originis, & permanente in Verbo producto. Quæ quidem opinio multis nominibus mihi probari non potest, nec ex allatis Sacrarum Scripturarum locis elici valet; primo quidem, quia Creatio proprie dicta, tum hominum primorum, tum animantia in exortu mundi, a Mose theologice culta, suum autorem habuit vnum pariter, atque trinum in corporearum creaturarum productione; vt omnibus orthodoxis est in confesso, & Moses innuit aperte. Verbi vero productio æterna est a solo Patre, non a tota Triade: Quorum dogmatum illud attulit Moses, cui Deus ait: e *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram:* & infra: f Deus ait: *Ecce Adam, quasi vnus ex nobis factus est, sciens bonum & malum.* alterum vero protulit Dauid asserens: g *Dixit Domi-*

nus

* 3.p.q.16. art.8.ad 3. & 10.ad 3.

Noua opinio de creatione Verbi ad intra.

Conuellitur 1.

e Gen.1.26

f Gen. 3. 22.

g Ps.109.1. 3.

nus Domino meo: Tecum principium in die virtutis tuæ: in splendoribus sanctorum: ex vtero ante Luciferum genui te. & alibi: h *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te*. Productio ergo Verbi æterna non est Creatio proprie dicta simpliciter, vt est productio primorum hominum, & animantium. Deinde, quia Creatio proprie dicta simpliciter facta fuit a Deo iubente, velut actio præcipue Diuinæ voluntatis imperantis non entia fieri ac esse: sic ab initio iubens Deus ait: i *Germinet terra herbam virentem, & facientem semen, & lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus suum, cuius semen in semetipso sit super terram. Et factum est ita, & protulit terra herbam virentem*, &c. k *Dixit etiam Deus: Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile super terram sub firmamento cæli. Creauitque Deus cete grandia, & omnem animam viuentem, atque motabilem, quam produxerunt aquæ in species suas, & omne volatile secundum genus suum*. l *Dixit quoque Deus: Producat terra animam viuentem in genere suo, iumenta, & reptilia, & bestias terræ secundum species suas: Factumque est ita. Et fecit Deus bestias terræ iuxta species suas, & iumenta, & omne reptile terræ in genere suo*. & Dauid: m *Deus autem noster in cælo: omnia quæcunque voluit, fecit*. & alibi: n *Quoniam ipse dixit & facta sunt, ipse mandauit, & creata sunt*. Etiamsi creatio sit opus Diuinæ mentis, at non primario formaliter, vt voluntatis; verum fere consecutiue, ac secundario; quod innuit Moses, post creationem fere cuiusque rei subdens: *Et vidit Deus quod esset bonum*: vel si placet dispositiue, siue tanquam a causa sine qua non; quia voluntas ordine naturæ fertur in præcognitum: absolute vero creatio est actio voluntatis imperantis formaliter, non ita intellectus. Modo productio Verbi Diuini æterna, non est actio voluntatis Paternæ, nec imperantis vllo modo, sed

h Ps. 2. 7.
11.
12.
i Gen. 1. 11. 12.
k v. 20. 21.
l v. 24. 25.
m Ps. 113. 1
n Ps. 32. 9.

sed actio Mentis Paternæ semetipsam intelligentis, puraque illa intellectione sui, citra voluntatis vllam actionem formaliter, producentis Verbum sibi simile, penitusque consubstantiale; sicut omnes Theologi orthodoxi, Concilia, & Ecclesia determinant. Quare Verbum in Diuinis proprie creatum dici nequit eo creationis genere, quo dicuntur a Mose creata cuncta viuentia in
III. exordio Mundi. Deinceps autem, quia Creatio proprie, locis allatis a Mose tradita, fit non solum ex principio substantiali præsupposito, ac permanente in re creata simpliciter; nam hoc est commune generationi; neque differentia, per quam creatio definitur, atque specificatur, esse valet communis alteri productioni, a creatione genere diuersæ: proptereaque *τὸ ex principio substantiali præsupposito, ac permanente in re producta*, non est assumendum in definitione creationis, tanquam ipsius differentia specifica, qua contradistinguatur a generatione physica: sed creatio proprie, de qua nunc est consideratio, fit ex eo substantiali principio præsupposito, ac permanente in re creata, quod est principium passiuum; vti est aqua, terraque primæua, ex quibus in exordio mundi creauit Deus plantas, & animalia; lutum, ex quo Deus Adam, & eius costam, ex qua creauit Euam. Modo in productione Verbi Diuini æterna dici non potest, substantiam Patris esse principium passiuum, ex quo Verbum creetur proprie, ac originem habeat; quia nihil ibi potest esse principium passiuum, vbi nulla passio, nulla potentia, nulla penitus imperfectio locum habet, sed solum actus purissimus, ex quo Verbum æternam ori-
IV. ginem habet. Insuper, quia creatio proprie dicta, sacris in literis culta, fit ex principio materiali permanente in re creata; sic aqua, & terra permansit in animalibus & plantis ex ea creatis materiale principium eorum essentiam

tiam

tiam constituens: ita purissimi sanguines virginalis vteri fuere materia ex qua creatum a Deo fuit Christi corpus humanum. At vero natura Diuina, substantiaque Patris, ex qua tanquam ex principio præsupposito & permanente Verbum productum dicitur, neque materiale principium est, neque materialis principij rationem habet; quum ab essentia diuina procul absit omnis materiæ ratio. Quare productio Verbi Diuini non est de genere Creationis proprie simpliciter, a Mose theologice cultæ. Præterea Creatio proprie dicta, de qua mentio theologica fit in sacris literis, est productio rei ex materia non vltimo disposita, siue si placet ex principio præsupposito, non habente in se completam dispositionem naturalem ad constituendas creaturas; quam indispositionem superat Dei Creatoris virtus *omnipotens, quæ creauit orbem terrarum ex materia* o *inuisa*, prima scilicet, vt ait Lyranus; adeoque indisposita, vt antea vidimus: quæque *vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt*; vt ait *p* Apostolus: sic aquæ simplices illæ primæ non habuerunt vltimam dispositionem naturalem ad ortum piscium, & auium: neque terra prima inanis & vacua fuit vltimo disposita ad originem stirpium, & animalium terrestrium: neque materia virginalis, viri semine destituta, completam dispositionem habuit ad conceptionem formationemque corporis humani Saluatoris: in qua carentia naturalium dispositionum consistit maxime propriedictæ simpliciter Creationis essentia, prout contradistinguitur a generatione physica; quam *q* Aristoteles decernit esse actum actiuorum in patiente disposito, & in propria vniuscuiusque materia. Quum autem nefas omnino sit, asserere naturam diuinam, substantiamque Patris esse principium vllatenus indispositum ad productionem Verbi; propterea dici non debet, æternam Filij Dei

o Sap. 11. 18.

p Rom. 4. 17.

q 2. de an. t. 24. 26.

K pro-

productionem esse proprie dictam simpliciter Creatio-
VI. nem theologice. Posterius in qualibet Creatione proprie dicta simpliciter, in sacris literis celebrata, principium illud præsuppositum, permanens in rebus creatis, ex quo creaturæ productæ dicuntur, permanet in eis tanquam pars componens illarum essentiam, ex tali principio & earum forma constitutam; quod vnicuique compertum est. Modo substantia Patris, ex qua dicitur Filius produci, tanquam ex principio præsupposito, non est in Verbo pars ipsius, neque componit essentiam Verbi; quum in eo nulla sit essentia composita, nulla substantia partialis, aut habens rationem partis. Quare productio Verbi de substantia Patris non est proprie creatio simpliciter, qualis est Creatio theologice primorum viuentium ex principio præsupposito, in eis permanente,
VII. a Mose culta in sacris literis. Postremo, Sacrarum scripturarum autoritate, Conciliorum, & S.M.Ecclesiæ decretis, omne proprie creatum simpliciter, est vere fa-
r Gen.c.26 27. ctum; etenim apud Mosen r Deus ait: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Et creauit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creauit illum:*
ſ v.21. *masculum & feminam creauit eos.* ſ *Creauitque Deus cete grandia, & omnem animam viuentem atque motabilem; quam produxerant aquæ in species suas, & omne volatile se-*
t v.23. *cundum suum genus.* t *Et fecit Deus bestias terræ iuxta spe-*
u v.31. *cies suas, iumenta, & omne reptile terræ in genere suo.* u *Vi-*
x Gen.2. v.2. *ditque Deus cuncta, quæ fecerat.* x *Compleuitque Deus die septimo opus suum, quod fecerat.* y *Quia in ipso cessauerat ab*
y v.3. z Gen.1.1. *omni opere suo quod creauit Deus vt faceret.* z *In principio*
a Gen.2.4. *creauit Deus cælum & terram.* a *Istæ sunt generationes cæli & terræ, quando creata sunt, in die quo fecit Dominus Deus*
b Ps.32.9. Ps.148.5. *cælum & terram.* & Dauid bis de ijsdem cecinit, b *Quoniam ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt.*

Et

Et Ecclesia Sancta Mater accipit, decernitq; credendum, quod habetur in Symbolo tum Apostolorum, *Credo in Deum, Patrem omnipotentem, Creatorem cæli & terræ:* tum Nicæni Concilij Magno, *Credo in vnum Deum, Patrem omnipotentem, factorem cæli & terræ, visibilium omnium, & inuisibilium.* & apud c Ioannem: *Omnia per ipsum facta sunt: & sine ipso factum est nihil, quod factum est.* Ex quibus aperte constat, quod proprie creatum est, itidem esse factum; qua de re latius infra quoque suo loco. Sed Verbum in Diuinis non est factum; de quo Concilium idem in Symbolo: *Deum verum de Deo vero: Genitum, non factum: consubstantialem Patri: per quem omnia facta sunt.* Dicuntur autem ista duo, *facta & creata* de ijsdem, vel quia synonyma sint apud sacram scripturam, vt magis d Augustino placuisse videbimus e infra: vel quia factum sit magis vniuersale quam creatum, vt animal vniuersalius est quam homo; Quare licet omne animal non sit homo, tamen omnis homo est animal: ita quamuis omne factum non sit creatum; omne tamen creatum est factum: Quum igitur Verbum æternum non sit factum, vt habetur in Symbolo Nicæno; iam neque creatum proprie dici potest; quod aperte recipit Ecclesia Mater ex Athanasij Symbolo legens: *Filius a Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus.* Cuius dogmatis ea est explicatio; quia Filius quum a Patre solo sit productus, & omne productum sit vel factum, vel creatum, vel genitum; Filius a Patre solo quidem est productus, sed non ab eo factus; proindeque nec creatus; quoniam omne creatum a suo creatore factum est; sed proprie genitus est, eo quod a Patre produci formaliter est generari. Quare sic argumentum colligitur: omne proprie simpliciter creatum est factum: Verbum æternum non est factum: ergo Verbum æternum proprie simpliciter creatum non

c Eu. 1. 3.

d 1. contr. adu. le. & pph. c. 13.
e cap. 11. & 15.

 est.

est. Itaque creatio proprie simpliciter, quæ frequenter in sacris literis posita, productio est entis ex præsupposita materia, patienteque principio, non vltime disposito, permanente in re producta; non conuenit Verbo incarnato secundum totum, vt primis animantibus; nec vllo modo Verbo Diuino ante incarnationem.

De quinto modo Creationis proprijssime dictá ac vniuoce; quæ productio est entis ex nihilo: num de hac habeatur mentio in sacra pagina: & vtrum Filio Dei possit aptari. Cap. IX.

QVintus vero modus Creationis est proprijssimus, vniuoce dictus, & celeberrimus apud omnes Patres orthodoxos in Concilijs Ecclesiam constituentes, & apud eorum singulos: Quæ quidem creatio, ad propositarum omnium differentiam, est productio entis ex nihilo. Contradistinguitur autem a generatione physica, tum quia non præsupponit patiens dispositum, materiamve propriam, ex qua producatur creatura: tum quia fit a solo Creatore Deo supernaturaliter agente, sine concursu ministeriove penitus vllo causæ secundæ Deo cooperantis actiue in ista creatione. Differt item a creatione proprie dicta tertij, & quarti modi, quin & ab improprijssime primi, quia nullam omnino præsupponit materiam positiuam, nullumque subiectum patiens omnino, neque dispositum, nec indispositum, sed purum putumque nihil. Conuenit autem fere cum omnibus in causa effectrice, quæ Deus est Trinus & vnus ex arbitrio suę voluntatis imperantis ac supernaturaliter agentis in momento temporis absque motu. Profecto de tali creatione rerum ex nihilo, mirum est quod asserunt huius æui Theologi nonnulli, scripturam sacram non meminisse, saltem expresse; nam sæpius in sacris literis

crea-

creationem ex nihilo legi certum est, ac expresse: primum quidem euidenter apud Machabæos mater illa sancta sic hortatur ad martyrij coronam adolescentulum: *1. loc.*
a Fili mi, miserere mei, quæ te in vtero nouem mensibus portaui, & lac triennio dedi, & alui, & in ætatem istam perduxi. Peto nate, vt aspicias ad cælum, & terram, & ad omnia quæ in eis sunt: & intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus, & hominum genus. Ita fiet vt non timeas carnificem istum: sed dignus fratribus tuis effectus, particeps suscipe mortem, vt in illa miseratione cum fratribus tuis te recipiam. Quam creationem omnium ex nihilo fatetur ibidem Ordinaria Glossa rectissime; nam præter Deum Creatorem & alia cuncta ab eo facta, nihil est, ex quo creare debuerint. Secundus locus est, vbi Sapiens ait, impios ex vero principio Creationis ex nihilo, falsam deduxisse conclusionem annihilationis animæ sic: *b Dixerunt impij cogitantes apud se non recte. Exiguum & cum tædio est tempus vitæ nostræ, & non est refrigerium in fine hominis: & non est qui agnitus sit reuersus ab inferis: quia ex nihilo nati sumus: & post hæc erimus, tanquam non fuerimus.* Procul dubio vera sunt antecedentia cuncta: quod exiguum & cum tædio est tempus vitæ nostræ: nam & Iob ait recte: *c Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miserijs. Qui quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut vmbra, & nunquam in eodem statu permanet.* Sed falsum est, maleque deductum ex allato antecedente: quod non sit refrigerium in fine hominis: & quod non est qui agnitus sit reuersus ab inferis: namque de primo legitur, tum *d Iustorum animæ in manu Dei sunt: & non tanget illas tormentum mortis. Visi sunt oculis insipientium mori: & æstimata est afflictio exitus illorum. Et quod a nobis est iter, exterminium: illi autem sunt in pace. & si coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est. In paucis*

a 2. Mach. 7. 27. — *II.* — *b Sap. 2. 1. 2.* — *c cap. 14. 1. 2.* — *d Sap. 3. 1. 2. 3. 4. 5. 6.*

cis vexati, in multis bene disponentur. Quoniam Deus tentauit eos, & inuenit illos dignos se. &c. tum, *e Quis me liberabit de corpore mortis huius?* vnde recte vates *f* Etruscus in Triumpho Mortis cecinit.

e Rom. 7. 24.
f Petrarc.

„ La morte è fin d'vna prigion oscura
„ A gli animi gentili: a gli altri è noia,
„ C'hanno posto nel fango ogni lor cura.

De secundo, patet falsum esse tum in filio mulieris Sareptanæ, quem defunctum *g* suscitauit a mortuis Elias: tum in filio mulieris Sunamitis, quem mortuum ad vitam reuocauit *h* Heliseus: ne referam *i* Lazari, & aliorum resurrectiones in nouo *k* testamento celebres. Ita sane verum est antecedens, *l Quia ex nihilo nati sumus*: tum quantum ad animam, quam ex nihilo productam a Deo singuli sortimur in ortu nostro: tum etiam quoquomodo quantum ad corpus, quod in prima rerum origine creatum quidem immediate fuit proprie de terra; quę tamen in principio mundi creata fuit ex nihilo: Cuius dogmatis veritatem confessa fuit illa Sancta Mater Martyrum Machabæorum, vt vidimus. Quod quidem oraculum respicit primam rerum omnium creationem ex nihilo prorsus, & sapienter; namque vel Aristoteles admonet, in effectuum scientifica notione, sistendum non esse in secundis causis, sed ad primam ascendendum esse; dicit enim: *m Oportet autem semper causam uniuscuiusque summam quærere: vt & in alijs, vt homo ædificat, quoniam ædificator est: ædificator autem est, secundum ædificandi artem: Hæc igitur prior causa est: & sic in omnibus.* Quare primi parentis corpus ex terra creatum est creatione quarti modi proprie dicti; sed illa terra creata fuit ex nihilo: vel si placet, vt hoc disputationi dem, ex materia prima pariter creatione proprie sumpta: Verum quia nihil Deo coæternum esse potest; & præter Deum &

g 3. Reg. 17. 21.
h 4. Reg. 4. 34. 35.
i Ioan. 11. 43. 44.
k Luc. 7. 14. 15. Matth. 9. 25.
l Sap. 2. 2.
m 2. phys. t. 38.

cun-

cunctas creaturas nihil est; profecto materia, & per eam omnia materialia creata sunt a summo Deo ex nihilo proprijssime dicta creatione; sicut hæc duo loca scripturæ diuinæ testantur aperte. Ceterum ex hoc antecedente verissimo. *n Quia ex nihilo nati sumus*, male colligunt impij falsum consequens: *Et post hæc erimus tanquam non fuerimus* &c. Quia superstes anima nostra post mortem nostram permanet immortalis, in alio mundo receptura condignam mercedē suarum actionum a summe iusto Iudice Deo. Tertius locus huius creationis proprijssime dictæ rerum ex nihilo clarus habetur in sacræ paginæ vestibulo: *o In principio creauit Deus cælum & terram:* siquidem certum est apud omnes, illud principium non extitisse momentum permanens æternitatis, de quo Ioannes: *p In principio erat Verbum:* quia nihil est coæternum Deo: sed primum instans vniuersi temporis, olim præteritum, ac fluxum, ante quod nullum omnino præfuit momentum in quo creauerit ad extra Deus vllam materiam, substantiamve positiuam, ex qua postea cælum atque terram condiderit: Quare duo ista, cælum & terram Deus ex nihilo creauit, non ex præcreata materia prima. Quod vel inde patet aperte, quia ceterorum proprias creationes ex materia indisposita designat scriptura: *q Germinet terra herbam virentem*. *r Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile super terram: Creauitque Deus cete grandia, & omnem animam viuentem atque motabilem, quam produxerant aquæ in species suas, & omne volatile secundum genus suum:* produxerant enim tanquam principium materiale, patiens indispositum, ex quo Deus ea viuentia proprie creauit ad nutum suæ voluntatis. *s Dixit quoque Deus: Producat terra animam viuentem in genere suo, iumenta, & reptilia, & bestias terræ secundum species suas. Factumque est ita. Et fecit Deus bestias* terræ

n Sap. 2. 2. & seqq.
III.
o Gen. 1. 1.
p cap. 1. 1.
q ver. 11.
r v. 20. 21.
s v. 24.

terræ iuxta species suas, nempe creans illas ex materia indisposita. Similiter, t *Et creauit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creauit illum, masculum & feminam creauit eos*. & mox: u *Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ*. & infra: x *Et ædificauit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam in mulierem*. Sed in prima creatione cæli & terræ, quam molitus est Deus in principio temporis vniuersi ante omnes creaturas a Mose narratas, nullius materiæ corporalis mentio fit; quare satis indicat Scriptura Sacra, hæc duo, cælum & terram, creata fuisse de nihilo. Quod si velit quis, præcessisse productionem materiæ primæ; iam ea non erunt in principio creata: & hæc ante illa creata fuerit ex nihilo. Quam veritatem explicauit D. Augustinus agens de fide * aduersus Arium, & opinionem nouam. *At si omnipotentem Deum fabricatorem mundi esse concedunt, fateantur necesse est ex nihilo eum fecisse quæ fecit. Non enim aliquid esse potest, cuius creator non esset, quum esset omnipotens; quia etsi aliquid fecit ex aliquo, sicut hominem de limo, non vtique fecit ex eo quod ipse non fecerat, quia terram, vnde limus est, ex nihilo fecerat*. Quartus locus est, vbi legitur: y *Igitur perfecti sunt cæli & terra, & omnis ornatus eorum. Compleuitque Deus die septimo opus suum quod fecerat: & requieuit die septimo ab vniuerso opere, quod patrarat. Et benedixit diei septimo, & sanctificauit illum; quia in ipso cessauit ab omni opere suo, quod creauit Deus vt faceret*. Ad cuius loci plenam intelligentiam, oportet prænotare differentiam inter *omnia*, & *singula*, siue inter *omne*, & *vnumquodque*; de quorum discrimine sic z Aristoteles: *At enim verbum, omnes, duplex est: si igitur tanquam singuli, forsan esset magis, quod efficere vult Socrates; singuli enim filium suum dicerent, & mulierem eandem, & de facultatibus, & de quibusvis alijs alia eodem modo. Nunc autem non ita dicunt,* qui

t V.27.
u Gen. 2. V 7.
x V.22.
* 103.
IV.
y Gen. 2.1. 2.3.
z 2. polit c. 2.

qui communibus vtuntur mulieribus, & filijs: Sed omnes quidem, & non vt singuli ipsorum: eodemque modo de facultatibus, omnes quidem, sed non vt singuli eorum. Quod igitur aberratio quædam sit in verbo, Omnes, manifestum est; nam & vtraque, & imparia, & paria dicit, propter duplicitatem: Et in sermonibus positum litigiosos facit syllogismos. Quare hoc ipsum, *Omnes*, assumi potest tam collectiue pro vniuersis, quam distributiue pro singulis. Quam duplicem huius vocabuli significationem adnotauit etiam a Apostolus inquiens: *Dixit ergo in quodam loco* b *de die septimo sic: Et quieuit Dominus die septimo ab omnibus operibus suis:* accipiens Omnia collectiue pro vniuersis, non distributiue pro singulis; nam ibi Paulus attulit Versionem LXX: quum vulgata legat: *Et requieuit die septimo ab vniuerso opere, quod patrarat.* Et Chaldaica: *Et requieuit in die septimo ab vniuerso opere suo, quod fecerat.* Septuaginta vero: *Et requieuit in die septimo ab omnibus operibus suis, quæ fecit.* Quum igitur hoc in loco c Scriptura Sacra, per vniuersum opus suum, quod patrarat Deus, & per omne opus suum, quod creauit Deus vt faceret, indicet nobis omnes creaturas collectiue, non autem singulas distributiue: Quumque inter æternum Deum Creatorem, & omnem creaturam collectiue sumptam, ab initio mundi sex primis diebus conditam, nihil omnino sit: iam hoc oraculo Scriptura Diuina necessario loquitur de creatione vniuersorum, & omnium ex nihilo. De qua quidem etiam creatione rerum omnium simul acceptarum ex nihilo quintam habemus autoritatem Ecclesiastici dicentis: d *Qui viuit in æternum, creauit omnia simul.* Licet enim accipi valeat ordinaria Glossa, transferens hoc dictum ad materiam primam ita: *Rerum substantia simul creata est, sed non simul per species formata est: & simul extitit per substantiam materiæ, non simul apparuit*

a Hebr. 4. 4.
b Gen. 2. 2.
c ver. 2. 3.
d cap. 18. 1.

ruit per speciem forma: Nihilominus præstat asserere, Deum creasse omnia simul, referendo particulam *simul*, non ad idem momentum temporis; quia distinctis atque subordinatis ad inuicem sex dierum interuallis a Mose scribitur, Deum omnia creasse; sed referri debet ad collectionem omnium creaturarum, vt significetur, Creaturas omnes, excepta nulla, simul acceptas, a Deo creatas fuisse. Quumque præter Deum Creatorem, & omnes creaturas vna simul acceptas, collectimque sumptas vniuersas, nihil omnino sit; iam ex hoc oraculo Scripturæ necessario pariter colligendum est, Deum omnia simul accepta creauisse de nihilo.

VI. De qua sane Creatione omnium, & mundi totius; quæ non potest esse nisi de nihilo (nam inter Deum, & omnes creaturas; interque Deum Creatorem, & mundum vniuersum a Deo creatum, nihil est omnino) frequentia leguntur in sacra pagina testimonia: vt in Sapientia: e *Quoniam Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum. Creauit enim vt essent omnia.* Vbi recte Lyranus: *Creauit res vt permanerent in esse: incorruptibiles, per scipsas, vt Angelos, animas humanas, corpora cælestia, & etiam elementa quantum ad totalitatem; licet in aliquibus earum partium sit generatio & corruptio.*

e cap.1.13. 14.

VII. Et in Ecclesiastico rursus: f *Vnus est altissimus, Creator omnium, omnipotens, & rex potens, & metuendus nimis, sedens super thronum illius, & Dominus Deus.* Vbi recte quoque Lyranus: *Vnus: nam est ipsa bonitas per essentiam. Creauit: per suam potentiam: ideo subditur, Omnipotens: & quia non solum est omnium rerum Creator, sed etiam gubernator, subditur: & rex potens, metuendus nimis, & Deus super thronum illius, & Dominus Deus.* & infra.

f cap.1.8.

VIII. g *Tunc præcepit, & dixit mihi Creator omnium.* & alibi:

g Eccli.24.

IX. h *Domine Deus, omnium Creator, terribilis, & fortis:* & infra: i *Sed enim mundi Creator, qui formauit hominis nati-*

h 2.Mach.1 i cap.7.23.

uita-

uitatem, quique omnium inuenit originem. & mox, k quod antea quoque notaui, *Peto nate, vt aspicias ad cælum, & terram, & ad omnia, quæ in eis sunt: & intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus, & hominum genus*: nimirum, præter Deum Creatorem, & omnia creata, mundumve totum, vt sæpe dixi, nihil est penitus, ex quo Deus vniuersum, & omnia creauit ab initio, & adhuc infra: l *Dans igitur potestatem omnium Deo, mundi Creatori*. Sic igitur frequentia sunt in sacris literis oracula, quibus Deus appellatur Creator omnium, & Creator mundi totius: Quum autem præter Deum Creatorem, & omnia creata, mundumque totum creatum, tertium sit nihil; necessario nobis colligendum est cum Sancta Machabæorum Matre, Deum omnia, mundumque totum ex nihilo creasse; frequentemque mentionem in sacra pagina fieri de creatione proprijssime dicta, quæ est ex nihilo. Præterea vero de hac omnium rerum, ac mundi totius creatione ab initio ex nihilo, simplici iussu Dei Dauid egit non semel, inquiens: m *Verbo Domini cæli firmati sunt; & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Quoniam ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt*. Insuper autem creauit ex nihilo Deus Angelicam naturam; de cuius creatione Dauid ait: n *Laudate Dominum de cælis, laudate eum in excelsis. Laudate eum omnes Angeli eius: laudate eum omnes virtutes eius. Laudate eum Sol & Luna: Laudate eum omnes stellæ, & lumen. Laudate eum cæli cælorum: & aquæ omnes, quæ super cælos sunt, laudent nomen Domini. Quia ipse dixit, & facta sunt; ipse mandauit, & creata sunt*. vbi connumerat Angelos inter creaturas Dei. & antea: o *Qui facis Angelos tuos spiritus*. Angelorum enim natura spiritualis, quum de substantia Dei facta non sit, neque de corporali ulla materia; necessario de nihilo facta, & creata est a summo rerum omnium Creatore Deo.

X. k v. 28.
XI. l cap. 13. 14
XII.
m Ps. 32. 6. 9.
XIII.
n Ps. 148. 1 & seqq.
XIV.
XV.
o Ps. 103. 4. Hebr. 1. 7.

L 2 Quin

XVI. p cap. 39 33 34. Quin & Ecclesiasticus ait: *p Sunt spiritus, qui ad vindictam creati sunt: & in furore suo confirmauerunt tormenta sua. Et in tempore consummationis effundent virtutem: & furorem eius, qui fecit illos, placabunt*, siue *confundent*. Hi sunt Angeli mali, qui maligni, vt ait Interlinearis, ad vindictam malorum creati sunt a se, non a Deo, a quo ad gloriam boni creati fuerant; sed pro nequitia sua, & seductione humani generis æterna supplicia sustinebunt, & in tempore Antichristi, quando soluetur Satanas in fine mundi effundent virtutem, vindictam Dei, qui fecit illos, contra se prouocabunt. & Lyranus: *sunt spiritus maligni, qui ad vindictam creati sunt*: quia *sciendum, quod omnes Angeli creati fuerunt boni, & beatitudinis capaces, si stetissent* in innocentia; *sed aliqui peccantes, sua voluntate defectibili facti sunt mali: & sic ad pœnam sustinendam deputati ex ordine Diuinæ Iustitiæ; quæ non permittit dedecus culpæ sine decore iustitiæ; & ex consequenti per eandem iustitiam deputati sunt ad affligendum homines peccatores; vt qui fuerunt eis voluntarie subiecti in culpa, eis inuoluntarie subijciantur in pœna. Et sic accipitur hic, Creauit ad vindictam, largo modo, sicut frequenter accipitur in hoc libro, idest deputati ad pœnam dicto modo. Et in furore suo, quo rebellauerunt Deo, confirmauerunt tormenta sua; nam sicut peccatum eorum est irremediabile, sic & tormentum interminabile. Et in tempore consummationis mundi, effundent virtutem ad affligendum damnatos, qui cum eis retrudentur in inferno; nam vsque tunc habitabunt spiritus maligni, saltem multi, in hoc aere caliginoso ad exercitium hominum. Et furorem eius, qui fecit illos, idest vindictam a Deo dispositam contra peccatores, confundent, exequentes pessima voluntate, quod ordinatum est a Deo iuste; hoc importat nomen confusionis:* Et ita placabunt diuinam iustitiam, illi satisfaciendo: quod habet alia versio. Sic igitur a Deo creatos Angelos omnes

fuis-

fuisse, docet sacra pagina. Modo si cum Diuis Gregorio Nazianzeno, & Athanasio, quos hac in re secutus est D. Hieronymus, existimetur, Angelos a Deo factos ante mundi corporei constitutionem, creatos *in principio*, nimirum in Verbo Filio Dei, per quem *q* omnia facta sunt; quum ante Mundi corporei primæuam originem, præter Deum, non esset vlla materies, vllave substantia, & omnino nihil esset, ex quo crearentur Angeli; quos ex Diuina substantia creatos asserere nefas est; iam eos ex nihilo creatos fuisse, necessario dicendum est. At si cum Patribus Latinis alijs, vt opinatur *r* Diuus Thomas, existimemus, Angelos a Deo creatos vna simul cum mundo corporeo; quam sententiam libenter accipio, profecto vel ex nihilo, vt mundus: vel ex ea materia, quæ creata fuerit ipsa ex nihilo, facti fuerunt Angeli. Qua de re D. Augustinus ait, *ſ* Angelorum creationem indicari per productionem vel cæli, vel lucis; quam Interlinearis cum *t* D. Augustino interpretatur Angelicam naturam intellectualem. Hanc autem ex nihilo factam satis indicare potuit *u* Moses, non asserens Deum ex vlla materia lucem efformasse, vt hominem de limo *x* terræ, mulierem de costa viri, & animalia de *y* terra pariter: neque iussisse vlli materiæ, vt lucem produceret; sicuti *z* terræ iussit, vt germinaret omnia stirpium genera similiter & bestias terrestres: & aquis itidem vt *a* producerent pisces & aues omnes: verum absolute Moses ait: *b In principio creauit Deus cælum & terram.* & mox: *c Dixitque Deus: Fiat lux: & facta est lux.* Noui dicentes cum plerisque Patrum, Mosen Hebræis conscripisse creationem solum corporeæ naturæ mundi, non autem essentiæ spiritualis Angelorum: tum quia tunc ille populus rudis, non erat capax altioris doctrinæ: tum maxime, ne gentem ad Idolorum cultum valde pronam, ob diu-

tur-

q Ioa. 1. 3.
r 1. p. q. 19. 61. 3.
ſ 11. de ciu. c. 33. E.
t 1. de gen. ad lit.
u Gen. 1. 3.
x Gen. 2. 7. 21.
y ver. 19.
z Gen. 1. 11. 24.
a ver. 20.
b Gen. 1. 1.
c ver. 3.

turnam moram apud Aegyptios Idololatriæ deditissimos, data quapiam occasione noscendi naturam corporalibus omnibus valde præstantiorem, eos ad nefarium cultum creaturæ promoueret vtcumque. Sententiam istam habuisse videtur tum D.Hieronymus ad Cy-
d epist.139 prianum scribens: *d Mosis ore creationem Mundi, & eorum dumtaxat, quæ visibilia sunt, conditionem hominis, & om-*
e qu.ad Antio. *nis retro historia didicimus veritatem* : tum *e* Athanasius:
f in c.1.Gē. hom.3. tum Chrysostomus: *f* Ceterum quum Moses Angeli meminerit, qui positus ad ianuam paradisi voluptatis igneo gladio versatili procul arceret homines a reditu ad locū
g Gen.3.24 illum: dicente Mose; *g Eiecitque Adam: & collocauit ante paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ*. Quumque
h Gen. 16. 7.19.1. & alibi. dudum Hebræi multas Angelorum *h* apparitiones habuerint, antequam cum Aegyptijs habitassent: potius dubitandum est, ne quorum creationem ignorassent, Hebræi putarent Angelos increatos esse, coæternos, & coæquales Deo; proindeque tanquam Deos coluis-
i 11.de ciu. c.33. sent: Quare cum *i* D.Augustino dicendum, quod efficit *k* D.Thomas, Angelorum creationem a Mose propo-
k 1.p.q.61. 1.ad 1. sitam simul cum creatione lucis; vt ibi duplicis lucis originem attulerit, & corporalis, & incorporeæ; quarum illam referat sensus verborum literalis, istam mysticus;
l in præf. vt *l* antea fuse declarauimus. Vt vt sit, Angeli quum Deo coæterni non sint; & ab eo pendeant in esse; necessario per creationem ex nihilo facti sunt, vel immediate; vt communis est orthodoxorum sententia; vel mediante quapiam insensibili materia ex nihilo producta, quam aliqui Theologi comminiscuntur. Verum enimuero quum Angeli duarum sint serierum, alij corporibus cælestibus mouendis assistentes, alij nullam ad sphæram corpoream appropriati; dictum Augustini scribentis Angelos

Angelos connotari a Mose nomine tum cæli, tum lucis, ita recipiendum videtur; quod in principio creauerit Deus cælum omne, scilicet omnes orbes corporeos cum Angelis vnicuique illorum assistentibus; vt in terræ creatione non solam materiam terræ, sed compositum elementum ex materia, & forma sua substantiali constitutum. eodem vero primo die Deus creauit omnem lucem, tam corporalem, quam incorpoream, quæ proprie natura est Angelica, non assistens vlli corpori cælesti, sed æterno Deo seruitura cunctis in eius ministerijs. Quam vtramque naturam Angelicam Deus ex nihilo creauit primo mundi nascentis die. Ceterum præter Angelicam naturam, ex nihilo creat Deus animas rationales hominum: De qua sane creatione Moses aperte loquitur in formatione primi hominis, inquiens: *m Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ: & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ: & factus est homo in animam viuentem.* Vbi Beda venerabilis: *Anima vero de nihilo, Deo inspirante, creata est.* & mox: *substantiam animæ, & spiritus, in qua viueret, creauit.* Et Augustinus agens de origine animæ, *n* docet Fidei catholicæ aduersari, & valde peruersos esse, qui dicunt, Deum animam non de nihilo, sed de seipso fecisse; quos antea culpauerat etiam *o* D. Chrysostomus. Recteque *p* D. Thomas explicat, *inspirare*, pro eo quod est, *spiritum facere*; nam anima spiritualis substantia est, quam Deus efficit per creationem; quia *q Creauit Deus hominem ad imaginem suam: est autem homo ad imaginem Dei secundum animam; ergo anima exiuit in esse per creationem; quia r quum sit forma* [*s*] *subsistens, vnde sibi proprie competit esse, & fieri, & quia non potest fieri ex materia præiacente, neque corporali, quia sic esset natura corporea; neque spirituali, quia sic substantiæ spirituales in se inuicem transmutarentur: t necesse est dicere quod non fiat nisi* per

De creatione Angelorum, a Mose signata.

XVII.

m Gen. 2. 7

n l. 7. c. 3. & 4.

o Hom. 13. in Gen.

p 1. p. q. 90. 1. ad 1.

q ibid. ar. 2

r ibid. C.

s qu. 75.

t Ari. 1. de gen. r. 1.

u 2. sc. d. 17 q. 2. *per creationem ex nihilo*. D. Bonauentura *u* quoque rationalem animam ex nihilo creatam a Deo ponit cum Magistro; licet illi concedat materiam spiritualem, qua constat, non autem ex qua præexistente sit producta; sicuti terra per creationem producta ponitur ex nihilo, constans nihilominus ex materia & forma simul coniunctis vnico creationis actu comproductis.

XVIII. Denique creationem hanc rerum ex nihilo non obscure nobis indicauit Apostolus, inquiens: *x Ante Deum, cui credidit, qui viuificat mortuos, & vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt*.

x Rom. 4. 17.

Quem locum D. Chrysostomus explicat de rerum productione ex nihilo dicens: *y Si enim possibile est Deo mortuos vitæ restituere, & ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt, producere: possibile eidem & eos, qui ab ipso* Abrahamo *non fuerint, ipsius filios efficere: ob quod non dicit, qui producit ea quæ non sunt, sed qui vocat: maiorem facilitatem ostendens. Quemadmodum enim nobis facile est, vocare ea, quæ sunt; ita ei facile, ac multo facilius ea, quæ non sunt, in rerum naturam producere. Porro quum Dei donum magnum esse dixisset, & immensum, deque illius potestate disseruisset; ostendit & Abrahæ fidem dono ipso dignam esse.* Profecto producere nunc ea quæ non sunt, indicat producere res ex nihilo, quæ simpliciter non sunt, nec actu, nec potentia physica, neque proxima, neque remota; nam producere quæ non sunt actu, sed potentia physica proxima, difficile non est cuique naturali agenti secundo; quod etiam per multas mutationes producit ea, quæ non sunt actu, sed in potentia remota, præparando eorum vnumquodlibet ad proximam. Verum enimvero producere in rerum naturam ea quæ non sunt, nec actu, nec in potentia physica prorsus vlla, neque proxima, neque remota, id sane magnæ virtutis, ac immensæ potestatis opus est; de qua nunc optime Chrysostomus ait Apostolum agere,

y Homil. 8 ton. 4. in ep. Rom. 4

re,

re, dum scribit Deum, & mortuos ad vitam reuocare; & vocare ea quæ non sunt, tanquam ea, quæ sunt; etenim mortui nullam omnino naturalem habent potentiam ad vitam, neque proximam, neque remotam, sed solum supernaturalem, quæ dicitur obedientialis a Theologis: vt olim fuse *z* probauimus: vel ex *a* Aristotele itidem non ens absolute nullam obtinet potentiam physicam ad esse, neque proximam, neque remotam, neque solum supernaturalem, quam Theologi vocant obedientialem infinitæ virtuti Dei, quia non entis nulla potest esse potentia. Certeque dum Creauit Deus cælum & terram: dumque dixit, Fiat lux, & facta est lux: dum inspirauit in faciem Adæ spiraculum vitæ: dum, Dixit & facta sunt; & mandauit, & creata sunt omnia: creans ex nihilo tum omnia simul collectim; tum seorsum cælum, & terram, & naturam Angelicam, & animam rationalem hominis, vocauit ea quæ non erant absolute nec actu, nec potentia physica, neque proxima, neque remota, neque supernaturali, quæ dicitur obedientialis; quia non ens absolute, quod nihil dicitur, nullam potest habere potentiam; quod implicet apertam contradictionem non ens esse, nihil habere in se aliquid, maxime positiui: potentia namque supernaturalis, & obedientialis illa est quid reale, positiuum, & intra latitudinem entis collocatum extra nihil, in quo nulla potest entitas inesse. Dum autem Deus imperauit terræ vacuæ ac inani, vt produceret omnia tum stirpium, tum bestiarum terrestrium genera: pariter & iussit aquis, vt ederent producerentque pisces, & aues: ista viuentia creans ex materia indisposita, vocauit ea, quæ sunt, non quidem actu, nec in potentia physica, sed in potentia obedientiali, ad audiendam vocem suam, & ad obediendum imperiosæ iussioni suæ. Profecto quum tria sint efficientium causarum genera,

z In Sexto Quæs.
a 1. de an. t. 41.

b 2. phys. t. 1. & seqq. 1. cæl. t. 33. 2. de gen. t. 59. Deus, Natura, & Ars, *b* Aristotele doctore; virium imbecilliorum Ars producit res ex subiecto in actu, cui formas forinsecus impertitur: Natura potentior formas educit e subiecto disposito, quod potentiam proximam obtineat ad esse rei generandæ. Sed vnus Deus Omnipotens ad productionem rerum non indiget subiecto præexistente disposito; sed alias res e nihilo creat, alias ex materia indisposita, iubens esse quæ prius non erant:

c Rom. 4. 17. *c* vocans ad esse ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt; cuius imperiosę iussioni nihil non potest non obedire statim. Nec omittendum est, quod hominem Deus quantum ad corpus creauit proprie dicta creatione quarti modi ex materia indisposita, de limo terræ; sed quantum ad animam proprijssime dicta creatione quinti modi ex

d cap. 17. 1. nihilo; quod aperte satis innuit Ecclesiasticus *d* asserens: *Deus creauit de terra hominem, & secundum imaginem suam fecit illum:* nam imago Dei cluet in anima hominis maxime, non item in corpore; quare quando de creatione,

e Gen. 1. 26. 27. ac effectione hominis ad imaginem Dei tractat *e* Moses, & Salomon, nullam mentionem materialis principij, seu terræ facit; quia signant hominis creationem quantum ad animam esse penitus ex nihilo: terræ vero meminit sa-

f Gen. 2. 7. cra *f* pagina, dum creationem hominis ponit, nulla facta mentione similitudinis, & imaginis Dei. Sic igitur Creatio proprijssime dicta quæ productio est entis ex nihilo, multa præclara sui testimonia possidet in sacris literis vbi de creatione tum animæ nostræ, tum Angelicæ naturæ, tum cæli, & terræ, tum mundi totius, ac omnium entium

Obiect. 1. infra Deum positorum agitur collectiue. Verum in oppositum adducit nouæ opinionis autor Sacræ Scripturæ

g Sap. 11. 18. dictum: *g Non enim impossibilis erat omnipotens manus tua, quæ creauit orbem terrarum ex materia inuisa, immittere illis multitudinem vrsorum, aut audaces leones, aut noui ge-*

neris

neris ira plenas ignitas bestias, aut vaporem ignium spirantes, aut fumi odorem proferentes, aut horrendas ab oculis scintillas emittentes, quarum non solum læsura poterat illos exterminare, sed & aspectus per timorem occidere. Quin & Aristoteles *h* inter vniuersum, & animal, siue hominem, qui dicitur Mundus paruus, analogiam posuit, asserens: *si autem in animali hoc possibile est fieri, quid prohibet idem hoc accidere & in vniuerso? si enim in paruo mundo fit, & in magno: & si in mundo, & in infinito: si contingit quidem moueri infinitum totum, & quiescere.* Quum igitur apertissime constet ex sacra pagina, singulas animantes, ac homines primos speciatim, creationem habuisse, non ex nihilo, sed ex præexistenti *i* materia; necessario dicendum videtur, & vniuersum mundum creatum ex aliqua materia fuisse a summo Deo. His tamen non obstantibus, de pristina sententia, ponente creationem ex nihilo, recedendum non est. Etenim prioris obiectionis multiplex habetur solutio: prima quidem, quoniam aliud est agere de terra vacua, & inani, simplici nimirum elemento; quam in principio creauit Deus ex nihilo, vt antea probauimus: & aliud est agere de orbe terrarum, qui mundus elementaris ex quatuor elementis coagmentatus, perfectus, & omnibus animalibus, atque stirpibus exornatus; quem Moses diebus sex perfectum esse notauit, aiens: *k Igitur perfecti sunt cæli, & terra, & omnis ornatus eorum. Compleuitque Deus die septimo opus suum, quod fecerat: & requieuit die septimo ab vniuerso opere, quod patrarat.* Qui mundus elementaris perfectus appellatus est *Orbis terrarum* ab elemento *l* sensibiliore, *m* stabiliore, nobilioreque propter hominis *n* originem, & *o* habitationem, vel etiam nomine orbis terrarum intelligitur solum elementum terræ, sed ornatum plantis, & animalibus omnibus proprijs. Quem quidem orbem terrarum

Obiect. 2.
h 8. phys. t. 17.
i Gen. 1. 20. 22. 24. 25. Gen. 2. 7. 19. 21. 22.
Ob. 1. sol. 1.
k Gen. 2. 1. 2.
l 1. de gen. t. 18.
m Eccles. 1. 4.
n Gen. 1. 28.
o psal. 113. 16. 45. 18.

M 2 vtrum-

vtrumque vere creauit Deus ex materia inuisa, nimirum post terram nudam primo die conditam ex nihilo, condidit Deus reliquis diebus orbem terrarum perfectum ex materia elementari, quæ fuit ante creationem lucis in-

p Gen 1.2. uisa, dum scilicet adhuc *p* tenebræ erant super faciem abyssi: cunctis elementis ex nihilo nuper creatis nondum vlla luce perfusis, qua præsente solum res quælibet

Sol 2. videri potest. Secundam solutionem nodi profert Diuus

q to. 4. qu. ex vet. test. p. 1. F. pag. 305. Augustinus, *q* non multum ab allata dissimilem, dum ait: *In sapientia, qui creauit, inquit, orbem ex materia inuisa: & contra, Quia ex nihilo facti sumus: Deum simul confuse substantias creasse, scripturarum sensus declarat: permistas vtique tenebris hanc confusionem, idest aera, ignem, aquam, terram, tenebras, materiam dixit inuisam: sicuti in Genesi*

r cap. 1. 2. *legitur: r Terra autem, inquit, inuisibilis, & incomposita* (ita vertunt LXX. quod vulgata legit, *inanis & vacua) ex hac ergo confusione creauit orbem, instituto firmamento, vt intra ipsum aquis congregatis in vnum, habitatio fieret generis humani. Distinctis enim, & discretis substantijs, in concauo domum habitabilem fecit.* Quæ sic accipienda sunt, vt primo Deus ex nihilo creauerit substantiam rerum omnium corporearum simplicium, in tenebris confusarum; quam congeriem corporum simplicium tenebrosam appellat in Sapientia Philo, materiam inuisam; ex qua materia discretis omnibus, & detegens terram, quæ sub

s Gen. 1. 2. aquis tenebrosis (tenebræ *s* siquidem erant ab initio super faciem abyssi) iam apparente arida tellure, dicitur orbis terrarum, nempe globus terrenus, creatus, hoc est erutus ex materia illa confusionis tenebrosa, proindeque inuisa. Quæ quidem creatio terræ non est proprie dicta, neque proprijssime, de qua nunc agimus in quinto significato creationis; verum æquiuoce dicta secundum primam significationem antea declaratam. Cete-

rum

rum ex nihilo terra proprijssime creata fuit vna cum cælo, in principio, tenebris inuoluta, sub aquis delitescens ante creationem lucis. Quum ergo Sapientiæ liber loco prolato loquatur de creatione telluris improprijssime dicta, nos autem cum Mose tractemus in præsentia de prima creatione terræ proprijssime sumpta: Quum Sapiens orbis terrarum nomine terræ globum ornatum animalibus, & perfectum plantis intelligat: nos autem de vniuerso, quod omnes creaturas in se complectitur, agamus, dum asserimus vniuersum, terramque creasse Deum ex nihilo, non ex vlla penitus materia; certissime constat allatum Sapientiæ locum nostræ sententiæ minime contradicere, de diuersa tum creatura, tum creatione tractanti. Tertiam his addere solutionem possumus, nam vt vt disputationi damus, terrarum orbem a Deo creatum esse pridem ex materia inuisa, quam Lyranus hic, ait esse materiam primam, per se non cognoscibilem, quum sit potentia pura; nihilominus vniuersus orbis, ex elementari, siue terreno constans, atque cælesti, simul cum sua materia, tam secunda, quam prima, creatus est a Deo, non ex vlla materia, sed ex nihilo. Quartam solutionem affert Interlinearis egregiam, inquiens; *Creauit orbem terrarum ex materia inuisa, quia terra erat inanis & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi.* Nempe Deus creauit orbem terrarum, constantem ex materia secunda sub tenebris inuisibili, seu ex materiali substantia constans, quæ ante lucis creationem erat inuisibilis; quum tamen ipsam tellurem cum sua illa materia, substantiaque materiali creauerit ex nihilo Deus in principio, sicut & cælum; vt vere Deus in principio Deus ex nihilo creauerit Deus orbem terrarum constantem ex materia sub aquis ac in tenebris inuisa. Quinto dicimus, materiam illam inuisam, ex qua ponitur creatus orbis terrarum, siue

Sol. 3. Sol. 4. Sol. 5.

siue prima fuerit, siue secunda, non fuisse coæternam
t Ioan.1.1. Deo; nam æternitatis t *In principio erat Verbum, & Ver-*
2.3.4 *bum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt*. proindeque nulla fuit ab æterno materia; sed omnis a Deo dependens emanauit in tempore; quare necessario per creationem ex nihilo: quum ex Dei creantis essentia non prodierit, sicuti nec vlla res alia dependens a Deo.
Ob.2.fol. Quod autem secundo proponebatur de proportione productionis vniuersi, & hominis, siue mundi magni & parui, ex u Aristotele deductum, facilem habet ex ipsomet Aristotele x solutionem; nam ibi ponitur analogia inter magnum & paruum mundum, non quoad originem, siue creationem, qua de loquimur; sed quoad motum; quum creatio motus non sit: vult enim Aristoteles eo loci semper & in vniuerso, & in animali fieri motum; nunquam incæpisse, qui supponit mundum magnum, & paruum, saltem secundum speciem æternum esse; ac vtriusque substantiam nunquam non aliquo motu moueri, seu ab interno, seu ab externo principio. Sed obiectio facta fuit de creatione primæua tum vniuersi, tum indiuidui primi cuiusque viuentis; quam non attingit Aristotelica dubitatio; nam dispar est in proposito ratio mundi magni, & parui; quia magnus mundus omnia continens materialia, præter Creatorem Deum, nihil extra se habet, ex quo creari valeat; paruus autem mundus, homo pariter, & animal, extra se terram, & aquam extra se habet, ex qua tanquam ex materia indisposita proprie creari potest ab omnipotenti Deo. Sic ergo, quum sacra pagina frequentissime laudet Deum Creatorem omnium, & inter Dei Creaturas numeret Vniuersum, Cælum, Terram, Angelos, animas hominum, ac si placet etiam materiam primam, quæ non possunt a Deo pro-

u 8.phys. t.17.
x tex.20.

duci,

duci, nisi per proprijssime dictam creationem ex nihilo, sicuti sat superque confirmatum est in superioribus ex historia sacra; iam euidentissimum est, in scriptura diuina frequentem haberi mentionem de creatione rerum ex nihilo. Verum, quod secundo loco disquirendum proponebatur, Creatio ex nihilo differt a generatione proprie dicta, præter alia discrimina, quibus ab ea distingui visa fuit creatio quarti modi; quod generatio fit ex materia patiente disposita, præexistente ac permanente in re generata; sed creatio proprijssime dicta nihil præsupponit materiale, principiumve passiuum, ex quo permanente in re creata, fieri dicatur. Verum enimvero quod in sacra pagina *y* frequentissime legitur, Deus Creator omnium, omniaque de nihilo facta creataque fuisse, sic explicatur apertissime; quoniam vnicuique rei duplex esse contigit ab ortu suo; quorum vnum est esse simpliciter in mundo extra nihil, & extra causas suas; quod quidem est esse primum, simplicissimum, ac vniuersalissimum, non prædicamentali genere conclusum, sed esse transcendens omnia prædicamenta, penitus indifferens, in quo singula conueniunt, & proprie quæritur de quauis re per primam quæstionem simplicem; *An est*; & appellatur existentia. Sed alterum cuiusque rei est esse prædicamentale, compositum ex genere & differentia, specificum, quod inquiritur per secundam Quæstionem simplicem *Quid est* appellatam, & dicitur esse hoc, vt esse hominem, vel aquam; & absolute nuncupatur esse essentiæ. Quum autem vnaquæque res in sui productione conquirat a suis causis hoc vtrunque esse; profecto esse essentiæ sortitur a causa secunda eiusdem naturæ, ac prædicamenti; quo nomine *z* sæpe dicit Aristoteles omnia fieri ab vniuoco, plantam a planta consimili, hominem ab homine, ac ita de ceteris alijs. At esse transcen-

Creatio quo differat a generatione.

y Sap. 1. 13. 14. Eccli. 1. 8. 24. 12. 2. Machab. 1. 24. 7. 23. 28. 13. 14. Ps. 32. 6. 9. 148. 1. & seqq.

z 1. de gen. t. 30. 1. magn. mor. t 10. 2. de ani. 34. 1. de part. c. 1. 7. meta. t. 22. 30. 31. 32. 12. meta. 13. 18.

ſcendentalis exiſtentiæ non poteſt a cauſa ſecunda penitus vlla prouenire; quia talis omnis in prædicamentali genere concluſa, non poteſt vltra ſuas vires operari producens effectum tranſcendentem omnia prædicamentorum genera; quapropter a ſolo Deo producitur, qui ſolus inter cauſas tranſcendit omnia genera prædicamentalia. Quoniam vero quodcumque producitur e ſuo contrario, ſeu ex oppoſito producitur, vt late demonſtrat *a* Ariſtoteles; quumque principium oppoſitum, ex quo producitur vnumquodque ens prædicamentale, ſit in eodem genere cum re producta, & non ens illud, quod fieri debet ex ipſo, ſed ens aliud, non autem non ens ſimpliciter, aut nihil; vt oſtendit idem *b* Philoſophus: oppoſitum vero enti tranſcendentali nullo pariter in genere contineatur, & ſit non ens ſimpliciter, ac omnino nihil; iam in vniuſcuiuſque rei productione ſecundum agens prædicamentale proprie generat eſſentiam ſibi ſimilem ex materia diſpoſita per peculiarem priuationem formæ futuræ: primum autem agens Deus producit exiſtentiam rei, per creationem eius de nihilo ſimpliciter; & hac ratione Deus in ſacra ſcriptura legitur Creator omnium, & feciſſe omnia de nihilo; quam veritatem fuſius explicauimus in Quæſito De Concurſu Dei cum cauſis ſecundis ad effectus quoſcumque producendos; & ante nos pulcherrime, ſubtiliſſimeque *c* D. Thomas ex rei natura. Nunquid autem Creatio propriiſſime dicta, ex nihilo, conueniat Filio Dei, quod tertio loco quærebas, facilius expediam. Si Filium Dei quoad naturam humanam aſſumptam, quæ conſiſtit ex anima & corpore, conſideremus; quantum ad animam, ea vere creata fuit ex nihilo, ſicut aliæ ſingulæ rationales animæ, in inſtanti conceptionis Chriſti: quantum vero ad corpus eſſentialiter id non ex nihilo, ſed ex puriſſimis

Bea-

a 1. phyſ. t. 42. 43. & ſeqq.

b 1. phyſ. t. 60. & ſequentib. 70. & ſeqq.

c opuſ. 37. cap 4.

Creatio an Filio Dei ſit aſtari.

Beatæ Mariæ sanguinibus creatum proprie fuit immediate sine concursu seminis virilis a summo Deo ex materia physica non vltimo dispofita; quod *d* antea late probatum est. At si de Filio Dei sermo sit ante incarnationem, Arius quidem opinatus est Verbum a Patre fuisse creatum ex nihilo; quam hæresim damnauit Sancta Nicæna Synodus, & omnis orthodoxorum Patrum consensus, constituens Filium coæternum Deo Patri æterna generatione productum ex ipsa Patris æterni substantia, non autem creatum ex nihilo, siue, sicut ille dicebat, ex non entibus: Cuius impiam sententiam omnes nostri Theologi damnant vnanimes, & recte; quia de ratione Patris est producere Filium ex propria substantia; pater quidem corporeus ex parte substantiæ suæ, quæ semen *e* paternum est, decisum a corpore generantis: Pater autem incorporeus ipse Deus, cuius substantia penitus indiuisibilis, & impartibilis est, ex tota substantia sua.

d cap. sup.

e 1. phys. t.62. 2. de gen. an.c.3.4.

De sexto modo Creationis communiter, & abusiue, ac æquiuoce: quid sit, & quomodo se habeat ad generationem; & conueniat Filio Dei. *Cap. X.*

SExtus & postremus modus Creationis communiter, æquiuoce penitus, abusiueque dicitur: & a propositis omnibus atque singulis longe diuersus est; nam in se solum continet quod perfectionis est in essentia Creationis, omissis omnibus eius imperfectionibus essentialibus: & nullum habet attributum, quo proprie penitusque contradistinguatur essentialiter a generatione proprie dicta generatim suis in conditionibus essentialibus. Profecto Creatio vniuoce, atque proprijssime dicta particeps est in essentia sua tum perfectionum, tum etiam

imperfectionum; etenim est productio rei numero ac realiter diuersæ a suo Creatore actu, facta in indiuisibili momento temporis, non permanente, ex nihilo, seu ex nullo principio passiuo, materiali præexistente, ac recipiente in se creantis actionem, constituenteque partem essentiæ creatæ: sicuti creatio magis proprie sumpta, & analogice dicta, visa fuit esse productio rei numero realiterque diuersæ a suo Creatore actuali, facta similiter absque successione in impartibili temporis instanti, non ex nihilo, sed ex nullo disposito subiecto patiente, verum ex materia indisposita, præexistente, ac permanente in re creata, velut eius pars essentialis, quæ cum forma constituit essentiam totam creaturæ. Ad cuius creationis differentiam generatio physica proprie dicta, est *a* mutatio, *b* motus, productioque rei numero *c* realiterque distinctæ a generante *d* actuali, facta in *e* tempore successionem habente, ex materia *f* propria, subiectoque *g* patiente disposito, recipiente in se generantis actionem, permanenteque in re genita, constituenteque *h* partem essentiæ geniti. Commune vero Creationi cum generatione est, tum quod vtraque est rei nouæ productio: tum quod vtraque fit ab agente in actu; nam omne agens agit quatenus est *i* actu: tum quod in vtraque agens est distinctum a re producta; nihil enim seipsum generat, nihilque seipsum creat. Differunt autem, tum quod generatio motus est, atque mutatio; creatio vero neque mutatio, neque motus est; quum in ea nullum mutari habeatur: tum quod generatio mensuratur tempore *l* successiuo, siue breui, siue longo; creatio non mensuratur vllo tempore, sed absoluitur in instanti, momentoque prorsus indiuisibili, sine vlla successione temporaria: tum quod generatio fit ex materia propria, patiente, disposita: creatio vero maxime fit vel ex mate-

a 1. de gen. t. 13.
b 3. phys. t. 6.
c 2. de an. t. 47.
d 1. de gen. t. 30.
e 4. phys. t. 132.
f 2. de an. t. 26.
g ibid. t. 24
h 1. phys. t. 65.
i 3. phys. t. 17.
k 2. de an. t. 47.
l 4. phys. t. 132.

ria

ria non propria, patienteque non dispoſito, vel ex nihilo: tum quod generatio fit ex principio paſſiuo præexiſtente, remanente in genito, tanquam pars conſtituens, componensque geniti ſubſtantiam: creatio vero proprijſſime dicta nullum tale principium paſſiuum præſupponit; tum quod generatio fit a duplici principio actiuo, vno quidem proprio, quod eſt cauſa ſecunda mobilis; altero vero communi, quod eſt prima cauſa, communis omnium, & immobilis: de quibus duobus agentibus Ariſtoteles ita: *m Duplicia autem ſunt principia mouentia phyſice: quorum alterum non phyſicum eſt: non enim habet principium motus in ſeipſo: tale autem eſt, ſi aliquid mouet, quod non mouetur; vt id, quod penitus eſt immobile, & quod omnium primum eſt*. & alibi: *n Et homo hominem generat: præter hæc item cuncta mouens, tanquam omnium primum*. Creatio vero fit, non ab iſto duplici principio ſimul phyſice cooperante; ſed ab vnico primo ſupernaturaliter agente: tum quod generantium principiorum vnum eſt mobile, quod ſcilicet generando mouetur; alterum eſt penitus immobile. Creationis autem nullum eſt principium mobile, ſed vnicum illud primum penitus immobile, ac immutabile: tum demum quod generatio fit a principio proprio tribuente aliquid ſuæ ſubſtantiæ genito; ſed creationis principium actiuum nihil ſuæ ſubſtantiæ communicat rei creatæ; verum totam ſubſtantiam creaturæ producit. Quorum attributorum alia ſane perfectionis ſunt, alia imperfectionis. Perfectio prima eſt vtriuſque, quod habeat ſui principium productiuum, actiuumve, quod ſit actus, vel in actu. Secunda perfectio creationis eſt, quod momento fiat vniuerſa ſimul, non menſuretur tempore; proindeque non ſit motus phyſicus. Tertia perfectio creationis eſt proprijſſime dictæ, quod omnino careat materia, ſubiectoque patiente; principiove paſſiuo; nam

m 2. phyſ. t. 73.

n 12. meta. t. 24.

o3. de ani. t.14. nam pati signat imperfectionem o Aristoteli. Quarta perfectio Creationis est, quod non necessario ponat compositionem physicam realem in essentia creaturæ; nam anima rationalis, & Angelus essentiam simplicem obtinent, non ex pluribus rebus physice compositam, velut ex partibus diuersæ naturæ. Verum imperfectio prima Creationis est, quod ponat distinctionem realem, diuersitatemque naturæ inter creans & creatum; quia multitudo, ad vnitatem comparata, dicit imperfectionem, p Aristoteli rectissime; quod vnitas absoluta indicat actum, & simplicitatem. Secunda imperfectio Creationis est, quod fiat in momento temporis instabili, non permanente. Perfectio vero generationis est, quod sit productio rei similis generanti, q Aristotele doctore. Secunda perfectio generationis eidem r est, quod continuet, conseruetque semper τὸ generatorum-esse, saltem in specie. Tertia perfectio est, quod generans communicet suam essentiam genito. Sed imperfectiones generationis sunt, primum quod ponat discrimen reale inter generans & genitum, tanquam inter duo supposita numero distincta; nihil enim physice semetipsum s generat: secunda, quod generatio fiat in t tempore, cum successione, non tota simul permanens sit: tertia, quod sit vere motus, u qui constituitur actus imperfectus, ab x Aristotele: quarta, quod generatio fit cum passione, ac mutatione generantis omnis tam proximi, quam y remoti, vno excepto primo-mouente: quinta est, quod generans physice communicat genito non totam suam substantiam, sed partem tantum; etenim pars implicat imperfectionem, totum vero cum perfecto est idem Aristoteli. z Productio igitur illa, quæ continet in se non omnia essentialia Creationis attributa, sed solum illa, quæ perfectionis sunt, exclusis omnibus imperfectionibus,

p 8. phys. t.48.
q 2. de an. t.34.35.
r ibid. & 2. de gen. t 59.
s 1. de an. t 47.
t 4. phys. t 132.
u 3. phys. t.6.
x 3. phys. t.15.
y 8 phys. t. 46. & seqq. 1. meteor. su. 1. c. 2.
z 1. cæl. t. 3. 5. meta. t. 11. 30. 31.

bus, etiam essentialibus creationi proprijssime dictæ, non est vere creatio vniuoce, sed æquiuoce tantum & abusiue; etenim vniuoca dicuntur *a* Aristoteli, quorum nomen commune est, & ratio substantiæ secundum illud nomen est eadem; æquiuoca vero, quorum nomen est commune, sed secundum illud nomen ratio substantiæ diuersa, non eadem. Similiter illa productio, cuius attributum essentiale commune generationi sit, non est Creatio proprie, sed communiter. Insuper illa productio, quæ nullum habet omnino proprium creationis attributum, sed vnicum commune cum generatione creatio abusiue dicitur. Ex his colligendum est, productionem, quæ continet omnes perfectiones generationis, exclusis omnibus physicę generationis imperfectionibus, esse quidem generationem, sed non pure physicam, at supernaturalem: similiter productionem, quæ continet in se perfectiones Creationis, abstrahens ab omnibus imperfectionibus creationi essentialibus, æquiuoce creationem esse. Porro generatio continens omnes perfectiones physicæ generationis, exclusis omnibus imperfectionibus, est illa, quæ fit ab vnico generante, sine sui mutatione totam suam substantiam genito communicante in æternitatis momento permanente. Creatio similiter in se complectens omnes perfectiones absque penitus vlla imperfectione, creationi proprie, ac vniuoce dictæ essentiali, est illa, quæ fit ab vnico creante simpliciter & absolute, sine vlla pluralitatis ratione, producente creaturam, sine creantis vlla mutatione pariter, ac in æternitatis itidem momento permanente, non fluxo temporis, non ex vlla materia, nec ex vllo principio patiente penitus. Quæ sane Creatio, quatenus multa communia continet attributa essentialia cum generatione prædicta, eatenus dicitur creatio communiter; quatenus autem

a Præd. c. 1.

tem

tem in se non continet omnia attributa essentialia Creationi proprie, ac vniuocæ, sed pauca tantum, eatenus est creatio æquiuoce. Ceterum allatæ duæ notiones, generationis supernaturalis, & creationis æquiuoce, communiterque sumptæ, vt vt conuenire possunt in vnam numero productionem vnius & eiusdem simul & geniti supernaturaliter, & creati communiter æquiuoce; tamen adeo differunt inter se, vt vna de altera prædicari minime valeat, nec attributa propria vnius poni queant in alterius propria definitione, vel de illa pronunciari: Sicuti tres personę sanctissimæ Triadis conueniunt in vnum numero Deum; non tamen vna prædicari potest de alia; namque Pater vere non est Filius, neque vicissim Filius est Pater: neque Pater, aut Filius dici valet Spiritus Sanctus; neque vicissim Spiritus-Sanctus diceretur apte vel Pater esse, vel Filius; etsi tres isti sunt vnus Deus, non autem tres Dij. Consimiliter quum Patris proprium sit, actiue generare Filium; in definitione Filij ponenda non est generatio actiua, tanquam illius proprium attributum. Quare generationis supernaturalis proprium attributum poni non debet in definitione Creationis communiter & æquiuoce, cum qua conuenire potest in vnam numero productionem eiusdem rei; sed vtraque seorsum definienda est per attributa propria: Vt generatio supernaturalis definienda sit productio Filij geniti in momento æternitatis a Patre totam suam substantiam communicante: Creatio vero communiter æquiuoce definienda sit productio creaturæ in æternitatis momento a Creatore immutabili, ac simpliciter vnico. Sane duæ productiones istæ conueniunt in quibusdam, & differunt in alijs attributis ab inuicem; conueniunt, quia sunt vna numero productio vnius & eiusdem rei simul ab vno & eodem producente, qua simpliciter est vna persona; differunt

Vide infra cap. 14.

ferunt

ferunt autem formaliter; quia generationis autor est prima persona, sed sub ratione Patris; quia Patris solius formaliter est generare Filium: at Creationis huius autor est prima persona, sed sub ratione Creatoris: differunt item, quia prima persona vt Creator est, principium est immutabile; quod attributum non conuenit primæ personæ qua Pater est, proprius atque principium actiuum generationis formaliter; etenim ita quilibet pater, & omne generans proprium, cuiusmodi est prima persona, foret principium immutabile; quod vnicuique constat a vero procul abesse: Patrem vero in Diuinis esse generans proprium ac immediatum Filij, non commune, atque remotum generans, aperte Dauid aperit, introducens Filium Dei dicentem: *b Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Quin apud Euangelistas: *c & ecce vox de cælo, dicens: hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* & alibi: dum post multum temporis a baptismo, transfiguratus esset in monte Christus: *d Et ecce vox de nube dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite.* Attributum vero immobilitatis, ac immutabilitatis conuenire formaliter non patri, ac generanti proprio, qua tale est, sed primo mouenti, quatenus est omnium primum efficiens, iam vidimus apud *e* Aristotelem. Quare prima persona, non qua Pater est proprius, ac generans proximum, est principium immutabile; sed qua Creator est; vt ex Hilario notat D. Thomas non *f* vno in loco. His ita constitutis, efflagitanti tibi, num Creatio passiua conueniat aliqua ratione Filio Dei, seu Verbo Diuino ad intra, Respondendo censeo cum D. Thoma, sequente doctrinam Hilarij, nixam Orientali Concilio Catholico, quam etiam Bellarminus amplectitur: præmissa tamen hac declaratione, quod Verbum ad intra si consideretur sub formali ratio-

b Ps. 2. 7.
c Matth. 3. 17. Mar. 1. 11. Luc. 3. 22.
d Matth. 17. 5. Marc. 9. 6.
e 2. phys. t. 73. 12. meta. t. 24.
f 1. p. q. 45. 3. ad 4. 4. con. gen. c. 8.

ratione Filij, in relatione ad Patrem, ei competit sola generatio, non item creatio; namque Patris, qua Pater est, proprium est generare, non autem creare; & Filij, qua Filius est, proprium est generari, non creari: sub qua ratione S.M.Ecclesia recipit ab Athanasij Symbolo, *Increatus Pater, increatus Filius, increatus Spiritus-Sanctus. Filius a Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus*. & a Magno Nicæni Concilij Symbolo: *Credo in vnum Deum Iesum Christum, Filium Dei vnigenitum: & ex Patre natum, ante omnia secula: Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero: Genitum, non factum, consubstantialem Patri; per quem omnia facta sunt*. Si vero sumatur Verbum sub ratione producibilis in relatione ad Patrem, siue ad primam personam, intellectumque diuinum sub ratione producentis, tunc ei conuenit absolute productio passiua, quæ respectu diuersorum simul est & generatio, & creatio; vna quidem re, ac numero productio, sed duplici formalitate distincta: Quam sententiam ita pulcherrime nobis attulit ex Hilario D. Thomas non semel; & primo quidem in Summa scribens:

g 1.p.q.41. 3 ad 4. g *Præterea, omnis creatura est ex nihilo: sed Filius in scripturis dicitur creatura. Dicitur enim Ecclesi. 24. ex ore sapientiæ genitæ: Ego ex ore altissimi prodij primogenita ante omnem creaturam. Et postea ex ore eiusdem Sapientiæ dicitur, Ab initio & ante secula creata sum*. Quem locum opinio noua pro se producit in argumentum: Pro cuius tamen explicatione D. Thomas post nonnullas alias enodationes obiectionis, addit vltimo: *Vel per hoc, quod sapientia creata & genita nuncupatur, modus diuinæ generationis nobis insinuatur. In generatione enim, quod generatur, accipit naturam generantis; quod perfectionis est: In creatione vero, creans non mutatur; sed creatum non recipit naturam creantis. Dicitur ergo Filius simul creatus & genitus: vt ex creatione*

tione

tione accipiatur immutabilitas Patris: & ex generatione vnitas naturæ in Patre & Filio. Et sic exponitur intellectus huius sententiæ ab Hilario lib. de h *Synodis*. Et adhuc luculentius D. Thomas contra Gentiles ait de proposito: h in 2. fol. post lib. princ.
i *Quod autem dicitur, sapientiam esse creatam, per hoc quod & creata & genita nuncupatur, modus diuinæ generationis nobis insinuatur: In generatione enim, quod generatur, accipit naturam generantis; quod perfectionis est: sed in generationibus, quæ sunt apud nos, generans ipse mutatur; quod imperfectionis est. In creatione vero, creans non mutatur, sed creatum non recipit naturam creantis. Dicitur ergo simul Filius creatus & genitus; vt ex creatione accipiatur immutabilitas Patris, & ex generatione vnitas naturæ in Patre & Filio. Et sic huiusmodi scripturæ intellectum Synodus exposuit, vt per Hilarium patet. Quod vero Filius dicatur Primogenitus creaturæ, non ex hoc est, quod Filius sit in ordine Creaturarum, sed quia Filius est a Patre, & a Patre accipit; a quo sunt, & accipiunt creaturæ: Sed Filius a Patre accipit eandem naturam, non autem Creaturæ; vnde & Filius non solum primogenitus dicitur, sed etiam vnigenitus, propter singularem modum accipiendi*. Collaudat hoc & Bellarminus, asseuerans k alicubi: *Quinta est pulcherrima, & seruit etiam sequenti testimonio Eccles. 24. vbi non potest negari, quin scriptum sit, Creauit. Est autem hæc explicatio Concilij cuiusdam Catholici Orientalis can. 5. apud Hilarium lib. de Synodis, paulo post principium; & eandem sequitur B. Thomas 4. contra gentes cap. 8. Dicimus igitur, productionem Filij Dei nunc vocari generationem, nunc creationem; quia nullo vocabulo perfecte explicari potest; nam generatio significat productionem in eadem substantia, sed cum mutatione quadam generantis: Creatio significat productionem alterius substantiæ, sed sine mutatione creantis. Porro Filius Dei ita producitur, vt recipiat substantiam gignentis; & ea ratione dici potest*

i l. 4. c. 8. f

k l. 5. de Christo c. 18.

O teſt

test generari: sed recipit sine mutatione, aut alteratione producentis; & ea ratione dici potest creari. Vtrumque igitur dicitur, vt ex vtroque sumatur, quod est perfectionis; & quod est imperfectionis, omittatur. Quæ loca vidit, & in sua posteriori apologia collaudauit nouæ opinionis autor. Ex quibus apertissime constat, productionem Filij Dei nuncupari posse, tum generationem, tum etiam Creationem; non quod eius generatio sit creatio, neque quod eius creatio sit generatio, secus ac censeat nouæ opinionis autor; sed quia continet in se perfectionem tum generationis, quæ perfectio est communicatio naturæ generantis; bonum etenim est natura sua communicabile: tum etiam Creationis, cuius perfectio est, immutabilitas producentis. Constat item, communicationem naturę producentis nihil attinere prorsus ad creationis essentiam, sed illi penitus extraneam esse; proindeque Creationem definiri non posse per principium præexistens permanens in creatura; quum id sit attributum proprium generationis, quo hæc a creatione contradistinguitur; quæ creatio confert id solum Filio Dei, vt producatur a principio immutabili. Ceterum quoniam huiusmodi sententiam Bellarminus hausit a D. Thoma, qui ab Hilario, & hic ab Orientali Concilio Catholico; præstat S. Hilarij simul, & orthodoxi Concilij verba proferre, ac diligenter introspicere. Certe D. Hilarius in opere suo, cui titulum fecit, *De Synodis Fidei Catholicæ contra Arianos, & prauaricatores Arianis acquiescentes:* post longum prooemium ait, *Nunc igitur præscriptas ab Orientalibus Fidei definitiones recognoscamus.* & post quatuor primas definitiones Concilij propositas, adiungit: *Quinta definitio: si quis, condidit, vel creauit me, & genuit me, ab eodem audiens hoc, genuit me, non tamen ex similitudine essentiæ intelligat: sed idem esse dicat, genuit me, & condidit me, quasi non dicens Fi-*

Concilij sententia de Creatione Filij Dei.

Filium de Deo profectum, ex duobus nominibus significatum Filium; sed per duo nomina, hoc est, condidit me, & genuit me: hoc est, conditionem tantummodo dicens, & nequaquam Filium, sicut tradidit Sapientia ex duobus pium intellectum, anathema sit. Ex qua Concilij definitione constat, damnari positionem dicentium, creationem & generationem Filij Dei esse synonyma, Verbique generationem formaliter esse Creationem proprie; id quod latius explicat Hilarius immediate declarans istum Concilij locum ita: *Dicentibus creaturam, vel conditionem esse Filium Dei, contrahitur ratione subiecta. Namque impietatis hæreticorum hinc prophana præsumptio est, quod legisse se dicant, Dominus condidit, vel, creauit me; id ipsum enim conditio & creatio videtur intelligi. Sed consequentem sententiam subtrahentes, ex qua intelligentiam prior sumit, ex prima arripiunt impietatis suæ autoritatem, vt Creaturam dicant, quia sapientia dixerit se creatam. Quæ si creata est, quomodo potuit & nasci? quia omnis natiuitas, quæcunque est, in naturam suam ex natura gignente consistit: Creatio autem sumit exordium de Creantis potestate; potente scilicet Creatore ex nihilo condere creaturam. Sapientia itaque, quæ se dixit creatam, eadem in consequenti se dixit & genitam, Creationem referens ad parentis indemutabilem naturam, quæ extra humani partus speciem & consuetudinem, sine imminutione aliqua ac demutatione sui, Creauit ex seipsa quod genuit. Creantis enim opus non habet passionem aut permistionis, aut partus. Esse enim aliquando incipit, quod creatur ex nihilo: & quod creat, efficit per potestatem quod condit: & est opus virtutis Creatio, non naturæ ex natura gignente natiuitas: At vero natiuitas, legitimæ originis, & genuinæ naturæ profectus est; ex natura enim generante naturam sumpsit genita natura. Sed quia Dei Filius non corporalis partitudinis est genitus exemplo, sed ex perfecto Deo perfectus Deus natus est;*

D. Hilarij explicatio verborum Concilij.

O 2 idcir-

idcirco ait creatam se esse Sapientia, omnes in generatione sua corporales passiones excludens. At vero vt ostenderet, non creationis in se, sed natiuitatis naturam esse, subiecit & genitam; vt quum creatam se, & genitam confitetur, absolutam natiuitatis suæ intelligentiam præstaret; dum & indemutabilem Patris naturam in creatione significat, & legitimam ac propriam ex Deo Patre genitæ naturæ suæ ostendat esse substantiam. Atque ita perfectæ natiuitatis intelligentiam Creationis & Generationis attulit sermo; quum alterum sine demutatione, alterum in proprietate naturæ est. Fitque vtrumque vnum, & vnum vtrunque perfectum: & dum Filius ex Deo, ac sine demutatione Dei natus est, & ex Patre nascitur vt creetur; & indemutabilis ex se, ac naturalis Filio Pater, sic Filium condit vt generet. Hæresis ergo creaturam esse Filium Dei profiteri ausa, damnatur; quia impiam Creaturæ Dei ex nihilo opinionem, impassibili per eam Diuinitatis perfectione monstrata consequens professio naturalis generationis extinguat. Ex quibus apertissime patet, Orientale Concilium Orthodoxum, & ex eo D. Hilarium, in productione Verbi ad intra Generationis ideam cum essentia Creationis minime confundere: nec opinari Generationem Verbi dici, aut esse posse Creationem; quod generatio sit opus naturæ Paternæ, Creatio sit opus omnipotentiæ Paternæ; quæ duo sunt attributa distincta: sed in vnica simplicique productione Verbi refulgere, comperirique distinctas generationis, & Creationis proprietates, quæ sunt communicatio naturæ generantis, quod est attributum proprium generationis, nulla ratione conueniens Creationi: & immutabilitas producentis, quod est attributum proprium creationis, generationi formaliter ac generanti patri, qua pater est proprius minime conueniens, at solum qua Deus & Creator. Quare neque verum est, quod opinio noua dicit, a D. Thoma superius alla-

allato, Generationem Filij dici creationem; quum solum asserat, productionem Filij diuersa ratione dici posse, tum generationem, tum etiam creationem: Verba D. Thomæ fuerunt ex Hilario plane desumpta: *l Dicitur ergo Filius simul creatus & genitus: vt ex creatione accipiatur immutabilitas Patris: & ex generatione vnitas naturæ in Patre & Filio*. Hilarius item: *m Et est opus virtutis Creatio, non naturæ ex natura gignente natiuitas: at vero natiuitas, legitimæ originis, & genuinæ naturæ profectus est; ex natura enim generante naturam sumpsit genita natura*. Et Concilium Orientale: *n Si quis, condidit vel creauit me, & genuit me, ab eodem audiens: hoc genuit me, non tamen ex similitudine essentiæ intelligat, sed idem esse dicat, genuit me, & condidit me, quasi non dicens Filium de Deo profectum, ex duobus nominibus significatum Filium, sed per duo nomina, hoc est condidit me & genuit, hoc est Conditionem tantummodo dicens, & nequaquam Filium, sicut tradidit Sapientia ex duobus pium intellectum, anathema sit*. Quibus anathemate plectitur omnis, quicumque per duo nomina generationis, & creationis tanquam per synonyma productionem Verbi designauit, illius generationem asserens esse vere creationem: quum ex duobus nominibus generationis & creationis, tanquam non synonymis indicentur duo attributa distincta in productione Verbi, nimirum ex nomine Creationis immutabilitas producentis, & ex nomine generationis communicatio substantiæ patris generantis. Quamuis autem anathema fulminatum feriat Arianos dicentes generationem Filij fuisse creationem ex nihilo, tangere tamen etiam opinionem nouam videtur, quæ dicit generationem Filij esse creationem ex aliquo; quoniam & ista non discernit generationem a sua creatione; productionemque Filij non ex duobus nominibus varias proprietates indicantibus,

l 4 cõtr. gen. c. 8. f. & 1. p. q. 41. 3. ad 4.

m l. de Syn. Fid. init.

n defin. 5.

at per duo nomina prorsus eamdem rem significantia declarat. Constat etiam ex traditis, Creationem, neque simpliciter acceptam proprijssime, neque prout conuenit Filio Dei ad intra, definiendam esse productionem ex aliquo principio præsupposito, & permanente in re creata, secus ac ponit opinio noua: namque principium id permanens præsuppositum nullum est in creatione proprijssima, quam vidimus esse productionem creaturæ de nihilo: Sed in Verbi productione principium præsuppositum ordine originis permanens in Verbo producto, nihil est aliud nisi natura similis eademque, a generante communicata per actum formalem generationis ipsi genito; non autem specifica differentia creationis; quam quidem specificam Creationis differentiam DD. Thomas & Hilarius ex Orientalis Concilij decreto, statuunt esse Creantis immutabilitatem, ac omnipotentiam, quam virtutem appellant, contradistinctam formaliter a producentis natura, quæ ponitur ipsis principium proprium generationis, prout hæc a Creatione contradistinguitur: verba D. Thomæ sunt euidentissima superius allata: *In generatione enim, quod generatur, accipit naturam generantis; quod perfectionis est* (etenim communicatio est boni proprietas essentialis) *In creatione vero Creans non mutatur, sed Creatum non recipit naturam Creantis. Dicitur ergo Filius simul creatus & genitus, vt ex creatione accipiatur immutabilitas Patris, & ex generatione vnitas naturæ in Patre & Filio. Et sic exponitur intellectus huius scripturæ ab Hilario lib. de Synodis.* Qui ergo colligit ex hoc loco, nouæ opinionis autor, Creationem theologice definiri productionem rei ex præsupposito principio substantiali permanente in re producta, falso ponit D. Thomam dare Creationi, quod ipse contra generationi tribuit, & aufert a creatione; perperamque definit

finit creationem per extranea, quæ sibi nullo modo conueniunt, sed propria sunt generationis, prout a creatione contradistinguitur. Hilarij quoque verba plane destruunt nouam istam opinionem; sunt enim, vt visum est, ipsissima: *Et qui creat, efficit pro potestate quod condit: & est opus virtutis Creatio, non naturæ ex natura gignente natiuitas: at vero natiuitas* (quæ proprie generatio est, prout a Creatione contradistinguitur) *legitimæ originis & genuinæ naturæ profectus est: ex natura enim generante naturam sumpsit genita natura*. Quare præsuppositum illud principium, ex quo permanente in producto Filius Dei produci dicitur, & est natura Diuina communis Patri & Filio, a Patre Filio communicatur, non per actum Creationis, at solummodo per actum generationis, prout hæc a creatione contradistinguitur; etenim Creationis ratio solum respicit immutabilitatem Patris, non autem communicationem naturæ præsuppositæ; quod illico declarasse vidimus B. Hilarium his verbis (quæ repetenda sunt in re maximi momenti, ad conuellendam opinionem falsam circa dogma Fidei, quam posset autoritas celebris Theologi persuadere nonnullis cum insigni veritatis ac Fidei detrimento) *Sed quia Dei Filius non corporalis partitudinis est genitus exemplo, sed ex perfecto Deo perfectus Deus natus est: idcirco ait Creatam se esse Sapientia, omnes in generatione sua corporales passiones excludens. At vero vt ostenderet, non Creationis in se, sed natiuitatis naturam esse, subiecit, & genitam: vt quum creatam se, & genitam confitetur, absolutam natiuitatis suæ intelligentiam præstaret: dum & indemutabilem Patris naturam in Creatione significat, & legitimam ac propriam ex Deo Patre genitæ naturæ suæ ostendit esse substantiam*. Quid euidentius afferre potuit D. Hilarius, vt ostenderet naturam Diuinam a Patre Filio communicari per actum generationis æternæ,

næ, prout a creatione contradiſtinguitur; & creationem ſolum referri ad Patris immutabilitatem; nec vllo modo reſpicere naturam Diuinam, ex qua Filius producitur; ſed hanc ad vnicum actum generationis formaliter attinere? Quod vlterius explicat D. Hilarius, addens (ne ſit vllus in propoſito dubitandi locus) *Atque ita perfectæ natiuitatis intelligentiam Creationis & Generationis attulit ſermo; quum alterum ſine demutatione* (creatio ſcilicet) *alterum in proprietate naturæ eſt*. Sic igitur natura diuina eſt, ex qua præſuppoſita & permanente in Filio, non creatur, ſed generatur a Patre Filius: & immutabilitas Patris eſt, ratione cuius productio Filij dicitur Creatio. Ceterum iſta duo mirabiliter concurrere in vnam æterni Filij productionem, ſine confuſione Creationis cum generatione, citraque conuerſionem generationis in Creationem, ſed earum concurſu quodam eminenti ſupernaturali, ſtatim admonet S.Hilarius, addens: *Fitque vtrumque vnum*, nimirum generatio actiua Patris naturam ſuam communicantis Filio, & Creatio actiua Patris immutati, fit vna productio Filij. *Et vnum vtrumque perfectum:* quia vnica Filij Dei productio recipit in ſe vtriuſque, generationis nimirum & creationis perfectiones, immutabilitatem Dei creantis, & communicationem totius naturæ Dei Patris generantis; etenim Filius producitur ex tota ſubſtantia Patris immutati, ſibi communicata. *Et dum Filius ex Deo, ac ſine demutatione Dei natus eſt, & ex Patre naſcitur vt creetur; & indemutabilis ex ſe, ac naturalis Filio Pater, ſic Filium condit, vt generet*. Nec ideo, quod proprium eſt generationis, fieri ex ſubſtantia generantis, attribuendum eſt Creationi, cui penitus extraneum eſt, nedum non illius differentia ſpecifica; ſicuti neque quod proprium eſt creationis, vel propriiſſime ſumptæ, fieri ex nihilo: vel proprie dictæ ſimpliciter,

fieri

fieri ex indispoſito ſubiecto, tribuendum eſt Generationi, potiſſimum Filij Dei, quam colimus; quoniam illud Arium feciſſe, ſtatim admonet Hilarius, inquiens: *Hæreſis ergo Creaturam eſſe Dei Filium profiteri auſa, damnatur; quia impiam Creaturæ Dei ex nihilo opinionem, impaſſibili per eam Diuinitatis perfectionem monſtrata conſequens profeſſio naturalis generationis extinguat*. Dum igitur D. Hilarius hic ait Arium hæreſeos damnari, quia productionem Filij Dei, quæ creatio dicitur ob ſolam immutabilitatem, ac impaſſibilitatem producentis, aſſeruerit audax eſſe Creationem ex nihilo; quam impiam opinionem oſtenſa generatio naturalis Filij Dei ex æterna ſubſtantia Patris generantis extinguit omnino: ſimul argumentum nobis efficaciſſimum exhibet aduerſus hanc opinionem nouam, quæ Creationis Filij Dei ſpecificam differentiam ponit, naturam Diuinam præſuppoſitam eſſe ex qua Filius Dei creationem habeat: etenim ita dicendum eſſet, in productione Filij ſolam Creationem locum habere, non item naturalem generationem; quod cum Arij coincidit errore, licet ille de alia creatione loquatur, quæ fit ex nihilo; noua opinio de creatione ex præſuppoſito principio permanente in creato; nam vterque ſic ſolam creationem Filio Dei tribuit, non item naturalem generationem, quod non minus a vero diſtare diceret Hilarius; quia ſi genus creationis eſt productio, ſpecifica vero differentia eſt, ex præſuppoſito principio permanente in re creata; quum ſpecifica differentia creationis non poſſit vlla ratione conuenire generationi; neceſſario productio Filij ex ſubſtantia Patris præſuppoſita permanente in Filio foret pura creatio, & non vera naturaliſque generatio; quod contra Symbolum, & Apoſtolorum, & Nicænum, & Athanaſij eſt, vbi legitur Verbum genitum, non factum, neque creatum. 1.

II. Deinde, rem vt euidentius ostendam, secundum hanc opinionem nouam, quæ ponit in productione Filij Dei τὸ ex principio præsupposito permanente in Filio, esse specificam creationis differentiam, superuacaneum esset in productione Verbi rationem habere generationis; quum etenim Concilium, & ex eo D. Hilarius, & post eum S. Thomas in productione Verbi duo tantummodo ponant attributa, immutabilitatem, seu impassibilitatem producentis, in qua constituunt rationem Creationis: & communicationem naturæ producentis ipsi producto Verbo, quod ex ea præsupposita & permanente in producto produci dicitur; si talis etiam natura permanens non referatur ad generationem Verbi, prout a creatione contradistinguitur, sed ad Verbi Creationem, velut eius Creationis differentia specifica; profecto productio Verbi tota Creatio fuerit, non autem generatio; proindeque Verbum non esset vere Filius Dei, sed pura creatura; quod Hilarius ait opinionem impiam esse.

III. Deinceps euidenter adeo naturæ communicationem Filio producto a Patre producente, suamque substantiam eidem exhibente, non ad Creationem, sed ad generationem Filij pertinere scribit Hilarius, & constat ex rei natura, vt mirum sit in mentem venisse nouæ opinionis autori, definire Creationem per istam naturæ communicationem, tanquam per differentiam specificam Creationis; quum eam agnoscant differentiam specificam generationis, prout a Creatione contradistinguitur, Orientale Concilium Catholicum, Hilarius, D. Thomas, & Bellarminus; quos nescio quomodo noua opinio pro se citauerit, eorum dogmata summopere laudans in apologia sua manuscripta dicens: *Tertius sensus D. Thomæ 4. contr. gent. c. 8. & 1. p. q. 41. 3 ad 4. magis placuit Bellarmino, magis & mihi.* Dubio procul id illi placet, quod

quod sibi penitus aduersatur. Insuper opinio noua ponens, Verbi productionem esse creationem theologice, vt ait, de qua fere semper agit scriptura sacra dum ponit Deum creasse tam hominem de *o* limo terræ, quam mulierem de *p* costa viri, & orbem terrarum de *q* materia inuisa; facile coarguitur ex ijs testimonijs, quæ profert; nam istæ creationes proprie simpliciter, fuerunt a Deo Trino & vno, rerum productore, non quidem ex nihilo immediate, sed ex præsupposito principio permanente in re producta; ceterum non qualicunque, sed materiali, & patiente indisposito, & non de substantia producentis, vt *r* antea late probatum est, & vnicuique constat aperte, qui Theologiam primoribus labris gustauerit. Modo productio Verbi ad intra ex principio est, quod ipsamet est substantia producentis Dei: nec est principium in illa productione passiuum, quia nulla passio poni potest in substantia Diuina, Diuumque Hilarium supra vidimus in productione Verbi ponere substantiam Patris impassibilem & immutabilem, ex decreto Concilij: nec est principium materiale; quia in actu purissimo diuinæ substantiæ ne quidem excogitari potest vllum materiæ vestigium: nec est principium indispositum, quia diuina substantia dispositissima est eminenter ad personam Verbi; & indispositio quælibet imperfectionem connotat, quæ ne somniari quidem in Deo valet. Quin etiam producens Verbum ad intra, non tota Trinitas est, sed vnica persona Patris. Quare non potest ex Creatione frequenter descripta in sacris literis opinio noua colligere definitionem Creationis, quæ communis sit productioni Filij Dei, ex præsupposito principio substantiali permanente in Verbo producto. Denique Creatio generatim in eo contradistinguitur a Generatione, quod hæc est productio rei genitæ ex substantia

IV.

o Gen. 2. 7.
p v. 21.
q Sap. 11. 18.

r Cap. 7.

V.

P 2 gene-

generantis communicata genito per actionem naturæ; vt vnicuique constat ex rei natura, & ex allatis ab Hilario; Creatio vero est productio creaturæ solo iussu ac imperio voluntatis Creatoris, qui formaliter nihil suæ naturæ communicat Creato; verum creationem promouet vt Dominus immutabilis; quod apud Hilarium idem Concilium decernit, vt vidimus: At vero productio Verbi non fit actione voluntatis imperiosæ, ac virtutis omnipotentis, ast actione mera naturæ suæ intellectualis; quod infra cum eodem Concilio D. Hilarius asserit ita: *Definitio* XXIV. *Si quis voluntate Dei, tanquam vnum aliquem de creatura Filium factum dicat, anathema sit. Omnibus creaturis substantiam voluntas Dei contulit; sed naturam Filio dedit ex impassibili, ac non nata substantia, perfecta natiuitas: talia enim cuncta sunt Creata, qualia Deus voluit: Filius autem natus ex Deo talis substitit, qualis & Deus est; nec dissimilem sui edidit natura naturam: sed ex substantia Dei genitus, naturæ secundum originem attulit essentiam, non secundum Creaturam voluntatis essentiam.* Ergo Dei Filius a Patre, prout productus est ex præsupposita Patris natura permanente in Verbo, non vere creatus est, sed solum genitus: at creatus æquiuoce dicitur atque communiter, quatenus a Deo est vt immutabili producente. Creatio igitur illa, qua Verbum producitur a Deo vt immutabili producente, non est synonyma cum illa Generatione, qua simul idem Filius producitur a Deo Patre ex intima sui substantia, naturam suam illi simpliciter communicante, sed ratione dissidet a parte rei, realique formalitate, quia creatio consistit in sola immutabilitate producentis, generatio vero in sola communicatione naturæ; quæ duo sunt attributa reali formalitate ab inuicem distincta. Vocatur autem a nobis ista Creatio, quæ Verbum produci dicitur, Crea-

Marginalia: 2. de an. t. 47. 2. mino. mor. 10. 1. phys. 64. — Ps. 113.3.

tio communiter, & æquiuoce, ad differentiam creationis propriè, ac vniuoce, proprijssimeque sumptæ; quia non continet in se cuncta & singula proprijssimæ, propriæve creationis attributa; sed vnicum, quod est immutabilitas creantis; cetera non habet, quæ sunt, fieri à producente Deo Trino simul & vno: fieri per actum diuinæ voluntatis cum imperio iubentis: fieri in instanti temporis non permanente. Quare non habens vniuersa creationis attributa, totamque veræ creationis absolute definitionem; Creatio æquiuoce dicta est, quod cum propriè dicta Creatione communicet in nomine, cum qua non habet eandem omnino definitionem. Dicta pariter est Creatio communiter, quoniam attributum illud immutabilitatis producentis, in quo solo tota consistit ista Verbi Diuini Creatio, non est ipsi proprium omnino, sed in eo communicat cum Generatione, quatenus a prima causa promouetur; atque a Deo, vt obseruauimus ex *u* Aristotele. Quapropter quum hoc attributum immutabilitatis conueniat etiam Patri, quatenus est Deus generans, rectè sacra scriptura frequenter negare videtur creationem passiuam Filio, concedereque solam generationem passiuam, ipsum dicens Genitum, non factum, neque creatum, sed increatum; vt antea vidimus Ecclesiam Sanctam assumere tum ex Nicæno, tum ex Athanasij Symbolo. Quod ex *x* Damasco sumit etiam *y* D. Thomas, asseuerante: *Ipsa vna hypostasis, scilicet Christi, & increata est Deitate, & creata est humanitate.* Ista sufficere fortasse possent ad quæsiti solutionem. Sed quia non integre noua opinio sublata videtur, nisi penitus omnia fundamenta tollantur, quibus illa videtur inniti, propterea lapis hic adhuc mihi voluendus est ad integram propositi contemplationem.

u 2. phys. t. 73. 12. meta. t. 24.

x l. 4. c. 5.

y 3. p. q. 16. 8. ad 2.

De

De distinctione tum Creationis Scholasticæ a Theologica, tum huius a Factione ex nihilo: quæ præcipuum est opinionis nouæ fundamentum. Cap. XI.

PRæcipuum sane fundamentum nouæ opinionis illud est, Creationem accipi bifariam, Scholastice nimirum, ac Theologice. Creationem a Scholasticis definiri ponit productionem entis ex nihilo; quam ipse non recipit, vt pote non inuentam in sacra pagina, propriamque Factionis, prout a Creatione proprie dicta contradistinguitur. Quæ Theologice definienda sit productio entis ex præsupposito principio substantiali permanente in re creata, de qua creatione Theologice sumpta, prout a Factione contradistinguitur, plurima testimonia leguntur in sacris litteris asserentia Creatum hominem de limo terræ, mulierem de costa viri, pisces & aues ex aquis, arbores & alias animantes e terra, & orbem terrarum ex materia inuisa, plurimaque alia similiter. Quod quidem fundamentum pluribus nominibus mihi nutare
1. videtur, & a veritate stabili non parum abesse; primum enim illa distinctio Creationis in Scholastice sumptam, ac Theologice, firma non est; quia Scholastici nihilominus Theologi sunt, quam alij, qui Positiui nuncupari solent; etenim Theologia tanquam genus in Scholasticam, & Positiuam appellatam distinguitur. Sane Scholastici Theologi sunt, qui dogmata Fidei pertractant, ea tum declarantes, & explicantes, tum confirmantes argumentis, & ratiocinationibus ex rei natura desumptis: Positiui vero Theologi dogmata Fidei ponunt veluti rata, & potissimum autoritatibus Canonicarum scripturarum explicant, & roborant. Quare Scholastice sumpta Creationis definitio Theologice dicenda nobis est.

Theologica, Scholastica, ac Positiuæ discrimen.

est. Deinde vero Scholastica Theologia rursus bifariam accipitur, alia quidem est doctrina de rebus Diuinis, a singulis Theologorum Scholastice differentium proposita; quæ controuersa potest esse, ac ad arbitrium absque crimine renui a quolibet: cuiusmodi sunt pleræque Theologicæ Quæstiones, ac illa speciatim: Vtrum, si Adam non peccasset, Filius Dei fuisset incarnatus, nec ne: quum liberum sit vnicuique tenere partem alterutram contradictionis; quia nondum S.M. Ecclesia determinate sanciuit, vtra vera sit; ac huiusmodi neutræ quæstiones complurimæ sunt apud Theologos controuersæ. Alia vero Scholastica doctrina est dogmatum Fidei per Oecumenicum aliquod Concilium, adeoque per Ecclesiam orthodoxam stabilita; quæ sub anathematis pœna non potest ab vllo respui: nam Ecclesia in Concilijs congregata ius habet verum sensum tam scripturarum omnium sacrarum, quam dogmatum Fidei determinandi. Quod aperte (vt olim etiam notum) *Sacrosancta Oecumenica & generalis Tridentina Synodus in Spiritu Sancto legitime congregata decretum ponens de editione & vsu sacrorum librorum*, constituit, inquiens: * *Præterea & ad coercenda petulantia ingenia decernit, vt nemo suæ prudentiæ innixus, in rebus Fidei, & morum, ad ædificationem Doctrinæ Christianæ pertinentium, sacram scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit, & tenet S.M. Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu, & interpretatione scripturarum sanctarum, aut etiam contra vnanimem consensum Patrum ipsam scripturam sacram interpretari audeat, etiam si huiusmodi interpretationes nullo vnquam tempore in lucem edendæ forent. Qui contrauenerint, per Ordinarios declarentur, & pœnis a iure statutis puniantur.* Caueat ergo sibi, qui contra communem & vnanimem consensum Patrum definientium Creationem esse produ-

Margin notes: 11. — *Scholastica doctrina, quæ respui nequeat.* — * Sess.4.

ductionem ex nihilo, docentiumque Deum omnia ex nihilo creasse; constituuntque creationem ex nihilo, cum Factione ex nihilo tanquam cum synonymo conuenire; constituit ex aduerso tum ex nihilo Factionem esse, non item Creationem: tum creationem absolute definiendam esse productionem ex præsupposito principio permanente in re creata: tum contra Symbolum Athanasij, receptum ab Ecclesia, in quo legitur, *Increatus Pater, increatus Filius, increatus Spiritus Sanctus*: & infra: *Filius a Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus*: decernens nouæ opinionis autor Filium a Patre creatum esse, generationemque Filij nihil aliud esse quam creationem. Caueat, qui creationem simpliciter a Factione distinguit, quum Ecclesia fere synonymis illis vtatur ad eandem productionem significandam, & sacra pagina; nam Ecclesia Symbolum Apostolorum credendum proponit, in quo scribitur: *Credo in Deum, Patrem omnipotentem, Creatorem cæli, & terræ*: pariter & Symbolum Concilij Magni, quod habet: *Credo in vnum Deum, Patrem omnipotentem, Factorem cæli & terræ.* Quin & in Antiphona cum Responsorio quotidie concinit Ecclesia Mater,
a Psf.123.8. a Psalte Diuino sumit *a Adiutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cælum & terram*. Scriptura quoque sacra
b Gen.1.1. synonymis ijsdem vtitur, tunc, *b In principio creauit Deus cælum & terram*: ita legunt Vulgata, Pagninus, & Chaldaica translatio: quum Septuaginta vertant, *In principio fecit Deus cælum & terram*: tum mox: *Creauitque Deus cete grandia* sic Vulgata: *& Creauit Deus cetos magnos*: Pagninus: *& fecit Deus cetos magnos*: Septuaginta: & adhuc infra. *Et fecit Deus bestias terræ*. quæ versio communis est omnium; attamen hanc operationem Dei nouæ opinionis autor vult esse Creationem, non autem proprie Factionem. & postea *Faciamus hominem ad imaginem*

nem & similitudinem nostram: ita versiones omnes: & mox: *Et creauit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creauit illum: masculum & feminam creauit eos:* ita Vulgata, Pagninus, & Chaldaica: Septuaginta vero: *Et fecit Deus hominem, ad imaginem Dei fecit eum, masculum & feminam fecit eos.* & Ecclesiasticus ait: *c Deus creauit de terra hominem, & secundum imaginem suam fecit illum.* & Dominus: *d Qui fecit hominem ab initio, masculum & feminam fecit eos:* & iterum Moses: *e Viditque Deus cuncta, quæ fecerat:* ita translationes omnes. & mox: *f Igitur perfecti sunt cæli & terra, & omnis ornatus eorum. Compleuitque Deus die septimo opus suum, quod fecerat.* Ita Vulgata. Pagninus autem: *Et perfecit Deus die septimo opus suum, quod fecerat: & requieuit in die septimo ab omni opere suo, quod fecerat.* Septuaginta vero: *Et consummauit Deus die sexto opera sua, quæ fecit. Et requieuit in die septimo ab omnibus operibus suis, quæ fecit.* Et Chaldaica: *Et delectatus est Deus in die septimo opere suo, quod fecerat: & requieuit in die septimo ab vniuerso opere suo, quod fecerat;* & illico Vulgata: *Et benedixit Deus diei septimo, & sanctificauit illum, quia in ipso cessauerat ab omni opere suo, quod creauit Deus vt faceret. Istæ sunt generationes cæli & terræ, quando creata sunt, in die qua fecit Dominus Deus cælum & terram.* Pagninus autem: *Et benedixit Deus diei septimo, & sanctificauit illum, quia in illo requieuerat ab omni opere suo, quod creauerat Deus, vt faceret. Istæ sunt generationes cæli & terræ quando creati sunt, in die qua fecit Dominus Deus cælum & terram.* Septuaginta vero: *Et benedixit Deus diem septimum, & sanctificauit eum, quia in ipso requieuit ab omnibus operibus suis, quæ inchoauit Deus facere. Hic est liber generationis cæli & terræ, quum facta sunt, qua die fecit Dominus Deus cælum & terram.* & Chaldaica: *Et benedixit Deus diei septimo, & sanctificauit eum:*

c cap. 17. 1.
d Matth 19.
e Gen. 1. f.
f cap. 2.

quia in ipso requieuit ab vniuerso opere suo, quod creauit Deus vt faceret. Istæ sunt generationes cæli & terræ, quando creata sunt, in die quo creauit Dominus Deus cælum & terram. & infra: *Dixit quoque Dominus Deus. Non est bonum esse hominem solum: Faciamus ei adiutorium simile sibi. & ædificauit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam in mulie-*
g cap. 45. *rem.* Et Isaias in editione Vulgata, & Pagnini: *g Ego Dominus, & non est alius. Formans lucem, & creans tenebras: faciens pacem, & creans malum: ego Dominus faciens omnia hæc.* Septuaginta vero: *Ego qui fabricaui lucem, & feci tenebras: faciens pacem, & creans mala. Ego Dominus*
h cap. 39 f. *Deus, faciens omnia hæc.* & Ecclesiasticus item: *h Bona bonis creata sunt ab initio, sic nequissimis bona, & mala.* & infra de productione Dæmonum, quam & creationem, & factionem appellat promiscue, dicens: *sunt spiritus, qui ad vindictam creati sunt, & in furore suo confirmauerunt tormenta sua. & in tempore consummationis effundent virtutem, & furorem eius, qui fecit illos, confundent.* Et adhuc
i Gen. 6. Moses *i* de Deo loquens in Vulgata: *Pœnituit eum quod hominem fecisset in terra: & tactus dolore cordis intrinsecus, delebo, inquit, hominem, quem creaui, a facie terræ, ab homine vsque ad animantia, a reptili vsque ad volucres cæli; pænitet enim me fecisse eos.* & Pagninus: *Pœnituit Dominum, quod fecisset homines in terra, & doluit in corde suo. Et dixit Dominus, delebo homines, quos creaui, a superficie terræ ab hominibus vsque ad iumentum, vsque ad reptile, & vsque ad volatile cæli; quia pœnitet me, quod fecerim ea.* & Septuaginta: *Et cogitauit Deus, quia fecit hominem super terram. Et recogitauit. Et dixit Deus: Delebo hominem, quem feci, a facie terræ, ab homine vsque ad pecus, & a reptili vsque ad volatilia cæli; quia cogitaui, quoniam feci eos.* & in Chaldaica: *Et pœnituit Dominum in corde suo, quod fecisset hominem in terra: & dixit in verbo suo vt contereret*

forti-

fortitudinem eorum iuxta beneplacitum suum. Et dixit Deus: Delebo hominem, quem creaui super faciem terræ, ab homine vsque ad iumentum, vsque ad reptile, & vsque ad volucres cæli: quoniam pœnitet me in verbo meo quod fecerim eos: & infra: k *Delebo omnem substantiam, quam feci, de superficie terræ* (sic omnes versiones, *feci*) & infra: Vulg. *Ad imaginem quippe Dei factus est homo*. Pagn. *Quia ad imaginem Dei fecit hominem*. Septu. *Quia in imagine Dei fecit hominem*. Chald. *Quoniam ad imaginem Dei fecit hominem*. & Apostolus: * *Omnia per ipsum, & in ipso creata sunt*. & alibi: * *Deus, qui fecit Mundum, & omnia quæ in eo sunt*. & Dauid: m *Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum: Congregans sicut in vtre aquas maris, ponens in thesauris suis abyssos. Timeat Dominum omnis terra: ab eo autem commoueantur omnes inhabitantes orbem. Quoniam ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt.* n & Iudith: *Adonai Domine magnus es tu, & præclarus in virtute tua, & quem superare nemo potest. Tibi seruiat omnis creatura tua, quia dixisti, & facta sunt: misisti spiritum tuum, & creata sunt*. & alibi Dauid: o *Quoniam ipsius est mare, & ipse fecit illud*. & infra: p *Scitote quoniam Dominus ipse est Deus: ipse fecit nos, & non ipsi nos*. & postea: q *Qui facis Angelos tuos spiritus, & ministros tuos ignem vrentem*. & mox: *Quam magnificata sunt opera tua Domine: omnia in sapientia fecisti*. cui consentanea dicit cum Euangelista: r *In principo erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt. & sine ipso factum est nihil, quod factum est*: tum Apostolus: s *Multifariam, multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis: Nouissime, diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit hæredem vniuersorum, per quem fecit & secula*. Syriac. transl. *His autem vltimis diebus locutus est nobiscum*

k cap. 7.
l cap. 9.
* Colos. 1. 16.
* Actor. 17. 24.
m Ps. 32.
n cap. 16.
o Ps. 94.
p Ps. 99.
q Ps. 103.
r Ioan. 1.
s Hebr. 1.

per Filium suum, quem constituit hæredem omnium, & per
t Ps.113. *quem condidit secula*. Dauid iterum: *t Benedicti vos a Do-*
u Ps.118. *mino, qui fecit cœlum & terram*. & infra: *u Manus tuæ fe-*
x Ps.120. *cerunt me, & plasmauerunt me*. & adhuc: *x Auxilium meum a Domino, qui fecit cœlum & terram*. & iterum.
y Ps.123. *y Adiutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cœlum &*
z Ps.135. *terram*. & infra: *z Qui fecit cœlos in intellectu. Qui fecit*
a Ps.145. *luminaria magna*. & rursum: *a Spes eius in Domino Deo ipsius, qui fecit cœlum & terram, mare, & omnia quæ in eis*
b Ps.148. *sunt*. & denuo, *b Laudate Dominum de cœlis, laudate eum in excelsis. Laudate eum omnes Angeli eius, laudate eum omnes virtutes eius. Laudate eum Sol & Luna: laudate eum omnes stellæ & lumen. Laudate eum cœli cœlorum, & aquæ omnes quæ super cœlos sunt, laudent nomen Domini. Quia ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt*. Et
c Prou.8. Salomon: *c Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quicquam faceret a principio*. & mox: *Adhuc terram non fecerat, & flumina, & cardines orbis terræ*. Et
d cap.3. Ecclesiastes de Deo: *d Cuncta fecit bona in tempore suo*. & mox: *Didici quod omnia opera, quæ fecit Deus, perseuerent in perpetuum. Non possumus eis quicquam addere, nec auferre, quæ fecit Deus vt timeatur. Quod factum est, ipsum permanet*. & mox de iumentis, & hominibus, quantum ad eorum corpora, & vitam animalem: *Dixi in corde meo de filijs hominum, vt probaret eos Deus, & ostenderet similes esse bestijs. Idcirco vnus interitus est hominis, & iumentorum; & æqua vtriusque conditio: sicut moritur homo, sic & illa moriuntur. Similiter spirant omnia; & nihil habet homo iumento amplius. Cuncta subiacent vanitati, &*
e Gen.1. *omnia pergunt ad vnum locum. De terra e facta sunt, & in*
f Gen.3. *terram pariter f reuertuntur*. Et Sapientia: *g Deus patrum*
g cap.9. *meorum, & Domino misericordiæ tuæ, qui fecisti omnia verbo tuo, & sapientia tua constituisti hominem, vt dominaretur*

crea-

creatura, quæ a te facta est. & mox: *Ab initio, & tecum sapientia tua, quæ nouit opera tua, quæ & affuit tunc quum orbem terrarum faceres.* & infra: *h Et cum labore vano Deum fingit de eodem luto, ille qui paulo ante de terra factus fuerat, & post pusillum reducit se vnde acceptus est, repetitus animæ debitum, quam habebat.* & Ecclesiasticus: *i Exaudietur deprecatio illius: exaudiet autem eum, qui fecit illum* Deus. & infra: *k Super his omnibus benedicito Domino, qui fecit te.* & Isaias: *l Quia manus Domini fecit hoc, & Sanctus Israel creauit illud.* & mox: *m Et omnem, qui inuocat nomen meum, in gloriam meam creaui eum, formaui eum, & feci eum.* & infra: *n Hæc dicit Dominus Redemptor tuus, & formator tuus ex vtero: Ego sum Dominus faciens omnia: extendens cælos solus, stabiliens terram, & nullus mecum.* & mox: *o Ego Dominus, & non est alter: Formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum. Ego Dominus faciens omnia hæc.* & infra: *Ego feci terram, & hominem super eam creaui ego: manus meæ tetenderunt cælos, & omni militiæ eorum mandaui.* & postea: *Quia hæc dicit Dominus creans cælos: ipse Deus formans terram, & faciens eam: ipse plastes eius: non in vanum creauit eam, vt habitaretur, formauit eam. Ego Dominus, & non est alius.* & infra de Cyro rege: *p Vocaui ab oriente auem, & de terra longinqua virum voluntatis meæ: & locutus sum, & adducam illud: creaui, & faciam illud.* & infra: *q Hæc dicit Dominus: Cælum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum: quæ est ista domus, quam ædificabitis mihi? & quis est iste locus quietis meæ? omnia hæc manus mea fecit: & facta sunt vniuersa ista, dicit Dominus.* & Ieremias: *r Dij, qui cælos & terram non fecerunt, pereant de terra, & de his quæ sub cælo sunt. Qui fecit terram in fortitudine sua, præparat orbem in sapientia sua, & prudentia sua extendit cælos.* Pagninus: *Dominus Deus est qui fecit terram potentia sua, qui stabi-*

h cap. 15.
i cap. 4.
k cap. 32.
l cap. 41.
m cap. 43.
n cap. 44.
o cap. 45.
p cap. 46.
q cap. 66.
r cap. 10.

biliuit orbem sapientia sua, & prudentia sua extendit cælos. & infra: *Numquid sunt in sculptilibus Gentium qui pluant? aut cæli possunt dare imbres? Nonne tu es Dominus Deus noster, quem expectauimus? tu enim fecisti omnia hæc*, cælos nimirum & cetera corpora, quæ colebantur a Gentilitate.

s cap.32. Adhuc: *s Heu heu Domine Deus: ecce tu fecisti cælum & ter-*
t cap.38. *ram in fortitudine tua magna*. & infra: *t Viuit Dominus, qui*
u cap.51. *fecit animam hanc*. & post: *u Quia qui fecit omnia ipse est, & Israel sceptrum hæreditatis eius: Dominus exercituum no-*
x cap.3. *men eius*. & Baruch: *x Stellæ vocatæ sunt, & dixerunt: Adsumus: et luxerunt ei cum iucunditate, qui fecit illas.* & mox:
y cap.4. *y Exacerbastis enim eum, qui fecit vos, Deum æternum*. &
z cap.5. *z* Amos: Pagnino, *Qui facit Arcturum, & Orionem, & conuertit in mane vmbram mortis, & diem in noctem tenebrescere fecit: Qui vocat aquas maris, & effundit eas in superficie terræ: Dominus nomen eius*. Hæc e vetere testamento collegimus; quibus consimilia leguntur in nouo. Constat igitur e sacra pagina luculentissime diuinam scripturam frequentissime tanquam synonymis vti verbis *Facere*, atque *Creare* ad idem genus productionis, etiam eiusdem numero rei significandum; vt propterea falsum omnino sit præcipuum Opinionis nouæ fundamentum, quod in sacris literis *Creare* semper accipiatur pro eo quod est producere ex præsupposito principio manente in creatis: *Facere* vero pro eo quod est producere factum ex

a 2. Mach. 7. nihilo. Deinde vero sacra pagina legit: *a Peto nate, vt aspicias ad cælum et terram, et ad omnia, quæ in eis sunt: et intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus, et hominum genus:*

b Gen.1. Eademque sacra scriptura, sicuti vidimus: *b In principio creauit Deus cælum et terram*. & infra: *Creauit Deus hominem ad imaginem suam: ad imaginem Dei creauit illum: masculum et feminam creauit eos:* & ex nihilo, tum quantum ad animam, tum quantum ad corpus, si non immediate,

fal-

ſaltem mediante terra, vel, ſi placet, materia prima, quæ Deo coæterna non exiſtens, ex nihilo facta, creataque fuit; eam vero rationem habere non ſolum in productione primorum hominum, ſed & in origine primæua totius generis humani, vt ait Machabæorum ſancta mater, ex Ariſtotele plane conſtat, materiam primam ita definiente: *c Dico enim materiam primum ſubiectum, ex quo fit aliquid, quum inſit non ſecundum accidens*. Interim tamen obſeruo, Facere, & Creare, non eſſe prorſus & omnino ſynonyma, ſed Facere quid vniuerſalius eſſe quam Creare, quoniam ab eo non fit conuerſio ſecundum ſubſiſtendi conſequentiam; etenim omnia creata vere dicuntur facta, ſed non viciſſim omnia facta proprie dicuntur creata; nam quæcunque ab Arte producta ſunt, vere ac proprie facta dicuntur; quum Ars ab Ariſtotele *d* definiatur eſſe habitus recta cum ratione factiuus, effectiuusque: ſed Ars vere proprieque * creare non dicitur artificioſa, verum illa facere, producereque ſimpliciter. Sic igitur effectio, ſiue factio, vt loquitur Opinio noua, non ideo diſtinguitur a Creatione, quod illa ſit productio rei ex nihilo, iſta vero ſit productio rei ex principio præſuppoſito permanente in re producta: quod erat præcipuum Opinionis nouæ fundamentum. Cuius falſitatem ex rei natura facile planeque demonſtrare poterimus, argumenti principijs per ſe notis, ac indemonſtrabilibus eductis e ſacra pagina tum veteris, tum etiam noui teſtamenti, penitus euidentibus & irrefragabilibus; etenim fieri non poteſt vt eadem numero productio rerum earumdem ſit ex nihilo pariter, & ex aliquo principio præſuppoſito, permanente in re producta; nam axioma per ſe notum ac indemōſtrabile prorſus eſt, contradictoria de eodem verificari non poſſe; contradictoriæ vero propoſitiones ſunt, rem produci ex nihilo; & rem

c 1. phyſ. t. 82.

d 6 meta. t. 1. 6. Ethic. c. 4.

* D. Th. 1. p. q. 45. 8. & 2. ſe. di. 1. qu. 1. ar. 4. ad 5.

rem eandem produci ex aliquo ente: sed in sacra scriptura legimus non semel easdem numero res esse factas, & creatas; nempe cælum, & terra, & vniuersa penitus entia dicuntur & in antiquo, & in nouo testamento pariter & facta, & creata; siquidem Dauid in psalmis non semel, enumeratis rebus omnibus, ait eadem esse tum facta, tum etiam a summo Deo creata, verbis ipsissimis,
e Ps. 32. 6. 7. 8. 9. primo quidem: *e Verbo Domini cæli firmati sunt: & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Congregans sicut in vtre aquas maris: ponens in thesauris abyssos. Timeat Dominum omnis terra: ab eo autem commoueantur omnes inhabitantes orbem. Quoniam ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata*
f Ps. 148. 1. 2. 3. 4. 5. *sunt.* Deinde vero similiter: *f Laudate Dominum de cælis: laudate eum in excelsis. Laudate eum omnes Angeli eius: laudate eum omnes virtutes eius. Laudate eum Sol & Luna: laudate eum omnes stellæ et lumen. Laudate eum cæli calorum: et aquæ omnes, quæ super cælos sunt, laudent nomen Domini. Quia ipse dixit, et facta sunt: ipse mandauit; et creata sunt.* Et in nouo similiter testamento Sancta Mater Ecclesia suscipit a Symbolo tum Apostolorum: *Credo in Deum, Patrem omnipotentem, Creatorem cæli, et terræ:* tum etiam a magno Concilij Nicæni: *Credo in vnum Deum, Patrem omnipotentem, Factorem cæli, et terræ, visibilium omnium, et inuisibilium:* igitur in sacra scriptura τὸ Facere coincidit cum ipso Creare theologice, non autem ab eo contradistinguitur in hoc, vt putat Opinio noua, quod facere sit producere rem ex nihilo, creare vero sit e contra producere rem ex aliquo præsupposito principio, permanente in re creata. Quod argumentum plane demonstratiuum, ita breuibus perstringitur: Impossibile prorsus est, easdem numero res produci simul & ex nihilo, & ex aliquo præsupposito principio permanente in re producta; quia nihil, & aliquid contradicto-

ria

ria sunt, quæ non possunt de eodem simul verificari: sed eædem numero res, cælum, & terra, & omnia, dicuntur in sacra *g* scriptura pariter & facta, & creata a summo Deo: igitur in sacra pagina creare theologice non ideo contradistinguitur a facere theologice; quod creare theologice sit producere rem ex præsupposito principio permanente in re creata: facere vero theologice sit producere rem ex nihilo, ac ex non ente simpliciter. Quæ differentia productionum est præcipuum fundamentum Opinionis nouæ de creatione Filij Dei ad intra. Quæ opinio propterea falso nixa fundamento, corruit omnino.

g Symb. Apost. & Nicæn. Psal. 32. & 148.

Diuum Augustinum diruto fundamento nouæ Opinionis de discrimine creationis ab effectione, non fauere, sed obesse, reclamareque demonstratur. Cap. XII.

NEque vero fauet hilum huic Opinioni nouæ, distinguenti τὸ Facere ab ipso Creare, siue vt loquitur eius autor, Factionem a Creatione, quod a viro Theologo producitur ex *a* D. Augustino, qui discernere videtur horum verborum significata; si tota S. Doctoris afferatur sententia, vel ea pars, quam ipse primariam profert; non autem attendatur illa solum, quam ex abundanti proponit, & gratia disputationis dare videtur, non eam concedens aduersario; nam eo loci disputans Ecclesię doctor *contra* quendam hæreticum *aduersarium Legis & Prophetarum* de vero sensu cuiusdam celebris oraculi Isaiæ scribentis: *b Ego sum Deus faciens bona, & creans mala:* contra hunc, quem *c* dixerat se de nomine non agnoscere, sed hæreticum aduersarium Legis & Prophetarum describit, Augustinus ipse primo ponit veram & solidam solutionem, qua docet Isaiam vti verbis illis,

a to. 6 lib. 1 cont. ad. le. c. 23.

b cap. 45.

c l. 1. c. 1.

tanquam synonymis; quod ex ipsomet integro Prophe-
d Esa.45.7 tæ textu constat ita legente: *d Ego Dominus, & non est alter: Formans lucem, & creans tenebras: faciens pacem, & creans malum: Ego Dominus faciens omnia hæc*. Hæreticus, vt ait D. Augustinus, discernit *Facere* a *Creare*, quasi facere sit ab extrinseco Dei, creare vero ab intrinseco: id Augustinus ita docet velut hæreticum irridens: *e Quam vero eleganter sibi videtur ille verba discutere atque discernere, nesciens quid loquatur: quandoquidem hoc ipsum quod ita posuit hoc testimonium, vt non diceretur faciens bona & mala: aut, creans bona, & faciens mala: sed, faciens bona, & creans mala: vult vertere in crimen, & conatur ostendere, quod fit, forinsecus fieri: quod autem Creatur, apud ipsum esse Creatorem, atque inde procedere: vt videlicet Deus prophetarum tanquam extranei a se boni factor, aliquando fuisse videatur: Creator autem mali, tanquam natura malus de seipso proferre quod creauit*. Interim caueat noui dogmatis autor, similiter distinguens Factorem a Creatore Deo; dum ponit Deum factorem ex nihilo, proindeque forinsecus; nam nihil est extra Deum, in quo sunt omnia, quique in omnibus inest intimus, vt aiunt omnes *f* Theologi cum *g* Apostolo, quin & ipsemet *h* Aristoteles: & dum asserit, creatum Dei Filium ex substantia Dei Patris caueat, inquam, ne talia dicens coincidat cum radice dogmatis Hæretici a D. Augustino damnati; nam Filius quatenus producitur ex substantia Patris, eatenus generatur; non autem creatur, quia nulla creatura proprie dicta formaliter est ex substantia Creatoris. Ceterum D. Augustinus istam distinctionem Factionis a Creatione reprobans ait: *Quæ verba si ex consuetudine consideremus locutionis humanæ, & fieri & creari, non solum filij quos de semetipso quisque generat, verum etiam Magistratus dicuntur atque vrbes, & quæcunque alia quæ non exeunt de gignen-*

e loc. cit. c.23.
f Io.1.3.4.
g Act.17.28.
h 7.eudem. c.18.19.

gnente, sed forinsecus fiunt. Hæc est prima solutio S. Doctoris; qui sciens ex *l.* Aristotele verba sumenda secundum vulgarem significationem, quia loquendum vt multi loquuntur: at creationem amplissimi significatione vulgo designare productionem cuiuscunque rei, siue procedat ex substantia creantis; quo nomine pater generans de semetipso filios, eos creare dicitur sibi: siue producens ea faciat ex rebus extra se positis; qua ratione dicuntur Creati Magistratus, & Vrbes a Principibus. Itaque falso ponitur discrimen inter hæc duo, quod Creare sit ex substantia interna Creatoris. Facere sit ex eo quod extra Factorem ponitur. Quæ solutio D. Augustini ad viuum iugulat positionem nouam de Creatione Filij Dei. Secundam solutionem e Diuina Scriptura desumens Doctor Ecclesiæ subdit: *Si autem quomodo Scripturæ Sanctæ, quibus iste insidiatur, loqui soleant, perscrutemur: Aut hoc est facere quod creare, a quo tamen distinguitur gignere: & variandi verbi gratia, non ad aliquam rerum differentiam dici potuit, faciens bona, & creans mala: quum dici etiam possit, creans bona, & faciens mala*. Nimirum vtens Isaias duobus hisce verbis tanquam synonymis, ad euitandam tautologiam; quum sacra pagina frequentissime duobus hisce verbis vtatur ad significandam productionem vnius & eiusdem rei; vt luculenter ostendi nuperrime: *Creauit Deus cælum & terram*: & *Deus, qui fecit cælum et terram: Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram: et creauit Deus hominem ad imaginem et similitudinem suam: ad imaginem Dei creauit illum; masculum et feminam creauit eos*. Quem sensum eundem synonymorum *facere* & *creare*, D. Augustinus elicere potuit ex eodem Isaiæ contextu; qui namque dixerat: *Ego Dominus, et non alius, formans lucem, et creans tenebras, faciens pacem, et creans malum*: immediate sub- *l. 1. top. cap. 2.*

iungit: *Ego Dominus faciens omnia hæc*, asserens ea se *facere*, quæ nuperrime dixerat se *formare*, atque *creare*. Sed vt omne subterfugium cauillumque remoueret ab aduersario legis & prophetarum Augustinus, disputationis ergo, non concedens, dat homini hæretico prophetam hisce duobus verbis vsum ad varia significanda, sed tamen non ea, quæ volebat aduersarius; nam subdit: *Aut si vllam voluisset propheticus spiritus his esse distantiam, multo accommodatius sic acciperemus hæc verba, vt intelligeremus id fieri, quod si non fieret, omnino non esset: creari autem, ex eo quod erat, condi aliquid, vel constitui, sicut diximus creari magistratus atque vrbes. Nam et illi ex ijs, qui iam homines erant, constituuntur in honoribus, quum magistratus creantur: et ligna et lapides, quibus constituuntur vrbes, vtique iam erant, sed nondum in illam rerum faciem, quam videmus in vrbibus, quodam ordine et compositione venerant. Quod quum sit, creari vrbes dicuntur. Quod enim Græci appellant κτίζειν, hoc Nostri aliquando creare, aliquando constituere, aliquando condere interpretantur; quod sæpissime idem significat in illis literis (* diuinis nempe*) quod est facere: Nam et fecit Deus hominem ad imaginem Dei, et Deus*
mGen. 1. 2. *creat hominem inexterminabilem, vt legimus. Et si aliquan-*
Sapient. 2. *do cum aliqua differentia dicitur, hoc rectius potest interesse*
Eccli. 17. *quod dixi: vt facere sit quod omnino non erat: creare autem, ex eo quod iam erat, ordinando aliquid constituere.* Vbi rursum Augustinus priorem sensum synonymorum e sacris literis, tanquam proprium atque præcipuum elicit; & posteriorem, rerum discrimen aliquod inferentem, tanquam improprium & infrequentem, disputationis ergo dat, non simpliciter concedit Aduersario Legis & prophetarum; quod *facere sit quod omnino non erat; creare autem, ex eo quod iam erat, ordinando aliquid constituere*. Sed per id quod ait facere esse id quod omnino non erat, si

debet

debet intelligi, quod facere sit producere quidpiam ex nihilo; proindeque Deus faciens bona, sit producens illa ex nihilo, iam hoc erit aduersus oracula Mosis asserentis: *Et vidit Deus quod esset bonum, & ait. Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* n *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat: & erant valde bona:* & mox: o *Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ: & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ: & factus est homo in animam viuentem.* Sed Augustinianus sensus est ipsius facere, pro eo quod est condere id quod omnino non erat sub eadem specie manens; vt manent homines in Magistratu, & lapides in Vrbe condita: sic ex p Aristotele generatio fit quando transmutatur totum, non manente aliquo sensibili, vt subiecto eodem: sed vt ex genitura tota sanguis, & ex aere omni aqua: nam in aere non erat omnino aqua: licet in eo fuerit communis vtrique materia. Non ponit autem S. Doctor exemplum huius facere, tum quia non consistebat in hoc Aduersarij calumnia: tum quia quoquo pacto concedi potest omnia bona facta fuisse a Deo ex nihilo; sicut antea declaratum est; sed in sensu vocabuli *Create*, quod ait Aduersarius ille legis & prophetarum, indicare Deum ex semetipso, ac ex sua substantia creasse mala; proindeque malum esse Creatorem; ait S. Augustinus, creare dici Deum mala, non quod illa de propria substantia eliciat; sed quod ea, quæ natura sua sunt bona, constituat in pœnam improborum; addit enim hoc explicans: *Ideoque hoc loco dictus est Deus creans mala, quoniam peccantibus ea conuertit in malum, dispositione seueritatis suæ, quæ bonitatis eius largitate bona facta sunt.* Quem sane sensum antea nobis proposuit Ecclesiasticus, inquiens: q *Bona bonis creata sunt ab initio: sic nequissimis bona & mala. Initium necessariæ rei vitæ hominum, aqua, ignis, & ferrum,* *sal,*

n Gen. 1.
o Gen. 2.
p 1. de gen. t. 23.
q c. 39. 30. 31.

sal, lac, & panis similagineus, & mel, & botrus vua, & oleum, & vestimentum. Hæc omnia sanctis in bona: sic & iniquis, & peccatoribus in mala conuertentur. Hunc vero sensum placuit D. Augustino declarare alio scripturæ loco, dum

r 2. Cor 2. subdit: *Vnde dicit r Apostolus Paulus, Christi bonus odor sumus in omni loco, & in ijs qui salui sunt, & in ijs qui pereunt. Quibusdam quidem odor vitæ in vitam, quibusdam vero odor mortis.* Vnde constat, negare D. Augustinum hic, verbum *creare* significare productionem de substantia creatoris, quod vult opinio noua; licet ponat *Creare esse ex eo quod iam erat, ordinando aliquid constituere*; nam hæretici sententiam aperte damnat, asserentis creationem esse productionem creati de substantia creantis. Quinimo statim admonet istam opinionem nouam (quasi spiritu prophetico nouerit) non esse ponendam, vtpote periculosam, & falsam non minus quam sit illi consimilis Ariana: subdit enim: *Sed quum continuo sequatur, & dicat. Et ad hæc quis idoneus? nonne importuni quodammodo sumus ingerere ista carnalibus non studiosis, sed contentiosis, nullo modo idoneis ea capere, quæ vtinam saltem desinerent capere? Quotus quippe conflictus aduersus Arianos fuerit excitatus, ne vnigenitum Filium dicerent esse Creaturam, idem putantes Creatum esse quod genitum; iste fortassis ignorat.* Certe nouæ opinionis autor aperte dicit non semel de Vnigenito Filio Dei, idem esse creatum quod genitum, & eius generationem esse creationem; licet aliud genus creationis ab Ariana comminiscatur; quum tamen æque vtraque diuersa sit ab eius generatione for-

s 1. p. q. 41. 3. f. maliter accepta, sicuti s D. Thomas, & Hilarius ex Orientali Concilio Catholico decernunt, vt antea visum est, & infra latius ostendetur. Immo vero Concilium Ephesinum anathemate damnat, asserentes B. Virginem esse Christi-Matrem, etsi vere sit Christi-Mater, eo nomine

solum,

solum, ne in Verbo communicaremus cum Nestorianis, asseuerantibus eam non esse Dei-Matrem, sed Christi-Matrem; quum tamen re vera sit vtrumque; sicut inter eius laudes concinit S. M. Ecclesia Catholica. Quanto magis Nicænum Concilium anathemate damnasset hoc nouum dogma, quo Filius Dei ponitur Creatus, quod anathemate damnauit hæresim Arianam ponentem Dei Filium esse Creatum; & ea creatione, quæ falso ponitur idem esse cum eius generatione formaliter? Sequitur Augustinus improbans hæretici positionem ea improbatione, quæ consimiliter aptatur huic nouo dogmati, dum ait: *Sed & eius regula fallax, atque distorta ex eodem prophetico & Euangelico testimonio, quod ipse posuit, percussa frangatur: Sic Deus loquitur per Prophetam: Ego creans lucem, & faciens tenebras, faciens pacem, & creans mala. Quod ipse nec totum, nec sicut ibi legitur, posuit. Atque illud quidem facile dissimulandum est, quod pro pace posuit bona, quoniam pax bona est. Sed illud prætereundum non est, quia huius sententiæ partem superiorem dolo potuit præterire, ne diceret, creans lucem; quia quum sit lux, etiam confitente ipso vtique bona, ab eo creatam noluit confiteri, quem non vult creare nisi mala. Magis ergo indifferenter id positum debemus accipere, Creare & facere: distinctionis tamen, quam sibi iste fecit, regula fracta est: quoniam Deus Prophetarum, quem de verbo, quod non intelligit, culpat, ibi legitur. Creator bonorum, quod negat.* Ita sane noui dogmatis autor, omissa significatione prorsus eadem duorum synonymorum, quam D. Augustinus ter anteponit distinctæ ab hæretico, maluit hæretici significationes diuersas accipere, quas disputationis ergo S. Doctor Aduersario dans, non autem concedens, illis anteponit vnicam tanquam synonymorum, *creans*, & *faciens*; quorum distinctionem hic aperte negat. Quam distinctionem hæretici ductam

t Isai. 45.

etiam

etiam ex Euangelio confutat subdens: *Itemque ex Euangelio, nempe nobis tanquam plurimum suis partibus fauentes, opposuit quod Deus ait:* u *Arbor bona bonos fructus facit, & arbor mala malos fructus facit: Cur ergo non secundum illum, creat, dixit, non fecit, si vera est eius differentia, qua facientem a creante distinguit: dicens, quod fit, alienum esse a faciente, quoniam deforis accedit, quod autem nascitur, proprium eius esse, quod generat? Hinc enim existimat Deum generatorem malorum, quia dictum est, creans mala: putans quod & Ariani putauerunt, in scripturis illis nihil interesse, vtrum generari dicatur aliquid, an creari.* Sane nouum placitum ab autore suo secunda defensione manuscripta confirmatum, huic Augustini censuræ subiacet; etenim aperte scribit hic autor in Apologia secunda: x *D. Thomas 1.p.q.41.ar.3.in f. dicit Generationem Filij Dei Creationem, Filiumque nuncupat Creatum.* Quum reuera Diuus Thomas asserat ibi, Filium quidem dici genitum, & creatum, sed tamen se declarans apertissime distinguat generationem a creatione; statuens esse genitum, quatenus est productus ex substantia Patris: dici vero creatum non ob id, sed qua productus est absque producentis mutatione; disertisque verbis negat creationi Filij Dei conuenire quod sit ex substantia producentis; at solum id, quod procedat ex producente non mutato. Quam sententiam & alibi y repetit, & hausit ex z Hilario, & persuasit Bellarmino: qua de re nos infra latius, & antea quoque disseruimus. Denique vero D. Augustinus addit: *Sed certe in eo quod Dominus arborem bonam fructus bonos, & malam malos non dixit creare, sed facere: videat iste suam regulam fractam, & comprimat linguam. Quid enim stultius, quam dicere, Deum Prophetarum esse arborem malam, & id velle intelligi in eo quod Dominus ait, arbor mala fructus malos facit: & rursus dicere: non facit mala, sed creat:*

u Matth.7.

x in 2 apolog c.1.f.

y 4.cont. gent.c.8.f

z de Synod.Fidei.

creat: quia si faceret, aliena ab illo essent, eique forinsecus accederent: quum vero creat, ipse illa de seipso tanquam radicitus generat. Non ergo de isto Deo Dominus ait: Arbor mala malos fructus facit, quoniam creat mala illa, non facit. Ecce qui audet accusare Prophetas, ex Euangelio a se productis testibus refragatur. His igitur D. Augustinus euidentissime negat hæretico, vocabulum *creare* significare productionem internam de substantia creantis, ad differentiam verbi *facere*, quod indicet productionem extrinsecam. Quare plane simul improbat nouum dogma, quo Filij productio dicitur Creatio, quia fit ex substantia Patris ipsum creantis. Vnde non erat, vt in huius noui dogmatis confirmationem adduceretur particula textus Augustiniani, quam ipse disputationis ergo dat Aduersario, non absolute concedit, sed mox eam negat, & fusius anteponit illi sententiam veram, qua decernit, *Creare* non esse producere internum de substantia Creantis remanente in essentia creati: Quæ theoria melior, & propria magis D. Augustini, artificiosa calliditate silentio præteritur ab autore nouæ opinionis.

Secundum fundamentum noui dogmatis, comprobationem petens a varijs diuinæ scripturæ locis, animaduertitur: ostenditurque in ea legi creationem ex nihilo. Cap. XIII.

PORRO secundo loco deducitur e sacræ paginæ pluribus oraculis, quæcunque creari dicuntur, omnia producta fuisse non e nihilo, sed ex præsupposito principio, permanente in re creata; proindeque Filium Dei, qui producitur ex præsupposita substantia Patris permanente in producto, theologice creatum proprie dici debere. Quod quidem fundamentum non vna ratione nutat: in primis enim ista collectio contra canones dialecticos

*cap 3. ∂icos est in secunda figura ex puris affirmatiuis, vt * antea demonstratum est. Dein agens Ecclesiasticus de crea-
a cap.39. tione Dæmonum, ait: *a Sunt spiritus, qui ad vindictam*
I. *creati sunt, & in furore suo confirmauerunt tormenta sua: & in tempore consummationis effundent virtutem; & furorem eius, qui fecit illos, confundent.* Modo spiritualis Dæmonum substantia de nihilo creata fuit a Deo, non ex vllo principio præsupposito permanente in ipsis. Vnde creatio in sacra pagina non omnis est ex præsupposito principio permanente in producto, sed aliqua creatio est
b Gen.1.1. ex nihilo. Deinde vero Moses inquit: *b In princio creauit*
II. *Deus cælum & terram:* Sed cælum nullibi legitur creatum ex præsupposito principio permanente in re producta. Quin ante illud principium nihil omnino fuit præsuppositum, ex quo permanente in cælo cælum creari potuerit: quocirca cæli creatio de nihilo fuit. Deinceps infit.
c Gen.1.27. *c Et creauit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem*
III. *Dei creauit illum, masculum & feminam creauit eos:* nulla facta mentione materialis principij, quia similitudo & imago Dei consistit in homine quantum ad animam maxime, non ita quantum ad corpus: etsi Deus formauit hominem quantum ad corpus de limo terræ (qua de re
d Gen.2.7. *d* postea Moses) tamen quantum ad animam, non ex præsupposito principio, sed ex nihilo creauit Deus ho-
e Gen.2.-. minem, quando Deus *e Inspirauit in faciem eius* statuæ luteæ *spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem.* Neque tamen huic Mosis autoritati refragatur Ec-
f cap.17.1. clesiasticus, cui *f Deus creauit de terra hominem, & secundum imaginem suam fecit illum:* quia Moses nullam ibi materiæ mentionem faciens, agit de creatione hominis quantum ad animam, proprijssime sumpta creatione quinti modi, quæ est productio ex nihilo: sed Ecclesiasticus agit in primo suo dogmate de creatione hominis

quan-

quantum ad corpus proprie dicta quarti modi, nimirum
ex materia indispoſita : ſecundo vero dogmate, nulla
facta mentione materiæ, dum de factione hominis ad
imaginem Dei tractat, factionis nomine creationem in-
dicat propriiſſimam, qua homo quantum ad animam fa-
ctus eſt ex nihilo ad imaginem Dei. Moſes autem infe-
rius addit : *h Et benedixit Deus diei ſeptimo, & ſanctificauit* h Gen. 2. 3.
illum : quia in ipſo ceſſauit ab omni opere ſuo, quod creauit IV.
Deus vt faceret. paſſim etiam in ſacra pagina Deus lau-
datur *i Creator omnium*; ſpeciatim vbi legitur : *k Domino* i Iudith 16.
enim Deo, antequam crearentur, omnia ſunt agnita : ſic & Pſal. 145.
poſt perfectum reſpicit omnia. &, *l Ego ex ore altiſſimi prodiui* 148. Sap. 9.
primogenita ante omnem creaturam : & mox : *Tunc præcepit,* Iſaiæ 66.
& dixit mihi creator omnium. Quum igitur, præter Deum k Eccli. 23. 29.
creatorem, & omnia creata, nihil omnino ſit; iam aper- l Eccli. 24.
te conſtat e ſacra pagina, Deum omnia creaſſe de nihilo,
non autem ex vllo præſuppoſito principio permanente
in creaturis. At ſi creaturæ conſiderentur vt ſingulæ
ſeorſum; multæ quidem illarum dicuntur in ſacra pagina
creari ex principio præſuppoſito permanente in creatu-
ra; ſed ex principio, quod eſt paſſiuum, materiale, non
phyſice diſpoſitum ad induendam creaturæ formam, ne-
que de ſubſtantia creantis : ita ſane Deus creauit homi-
nem de limo *m* terræ; orbem terrarum ex *n* materia inui- m Gen. 1.
ſa : mulierem de *o* coſta viri. Quæ creatio proprie dicta Sap. 17.
eſt quarti modi, ſuperius *p* explicata, nullo modo conue- n Sap. 11.
niens Filio Dei ad intra, vt ibi demonſtrauimus. Præte- o Gen. 2.
rea, quum in vnaquaque re duplex *eſſe* reperiatur : p cap. 8.
V.
vnum quidem eſſe ſimpliciſſimum, primum, tranſcen-
dens omnia prædicamenta, prorſus indifferens, quo con-
ueniunt inter ſe ſingula, per quod vnumquodque con-
ſtituitur extra nihil, & quæritur per primam Quæſtio-
nem ſimplicem, *An eſt* ſimpliciter appellatam, & pro-

prio nomine dicitur *esse existentiæ*. Alterum autem est *esse-hoc*, nempe compositum vtcumque ex genere & differentia, siue ex actu & potentia, proindeque prædicamentale, quod est esse secundum, quo differunt a seinuicem singula, per quod vnumquodque constituitur in specie determinata, & quæritur per secundam quæstionem *Quid est* agnominatum, & explicatur per propriam cuiusque definitionem, ac proprie nuncupatur *esse-essentiæ*, seu *esse-naturæ*. Hoc vtrumque esse simul quidem terminat integram & perfectam productionem cuiusque rei; namque productio est mutatio rei de non esse ad esse tum existentiæ, tum essentiæ naturæque suæ propriæ. Ceterum productio rei quantum ad esse naturæ, seu essentiæ (maxime post primarum rerum conditarum a solo Deo primæuam originem) pendet a generante physice sibi similem essentiam in specie per actum generationis producente; quod non solum ex Aristotele, sed etiam e sacra scriptura constat aperte; Aristotele quidem pri-
q 2. de an. t. 34. 35. mum afferente: q *Naturalissimum enim operum, quæ in viuentibus (quæcunque perfecta, & non mutilata sunt, aut generationem spontaneam habent) est facere aliud, quale ipsum: animal quidem animal, plantam autem plantam, vt ipso semper, & diuino participent, secundum quod possunt: omnia enim illud appetunt, & illius gratia agunt omnia, quæcumque agunt secundum naturam. Ipsum autem cuius causa duplex est: hoc quidem cuius, illud vero cui. Quoniam igitur communicare non possunt ipso semper, & diuino continuatione, propterea quod nihil contingit corruptibilium idem & vnum numero permanere, secundum quod potest participare vnumquodque, sic communicat: hoc quidem magis, illud vero minus: & permanet, non ipsum, sed quale ipsum, numero quidem non vnum, specie autem vnum*. Scilicet appetunt omnia semper existere; quod Aristoteles vocat esse diuinum

par-

participatum; quia rebus a solo Deo creatore prouenit, per modum suæ cuiusque capacitatis ac dispositionis, alijs in indiuiduo, nempe materia carentibus: alijs in specie, per continuatam generationem nouæ sobolis eiusdem speciei: quam quidem continuationem generationis a Deo proprie fieri, mox apparebit ex eodem Aristotele. Cui etiam r alibi, *omnis natura eius est essentiæ procreatrix, qualis ipsa est, veluti stirpes, & animalia; nam vtraque gignunt, ex principijsque producunt; vt arbores ex semine; id namque principium est*. Sacra vero pagina docet, idem esse essentiæ, siue naturæ speciei fieri a creaturis quibusque, sibi similes naturas eodem modo generantibus, Mose scribente, *Et* s *ait* Deus: *Germinet terra herbam virentem, & facientem semen iuxta genus suum, lignumque pomiferum faciens fructum iuxta genus suum, cuius semen in semetipso sit super terram. Et factum est ita. Et protulit terra herbam virentem, & facientem semen iuxta genus suum: lignumque faciens fructum, & habens vnumquodque sementem secundum speciem suam*. Et infra creatis auibus & piscibus ex aquæ materia indisposita, Deus t *benedixitque eis dicens: Crescite, & multiplicamini, & replete aquas maris: auesque multiplicentur super terram*. Similiter inferius, u creatis primis hominibus, viro de limo terræ, muliere de costa viri, quantum ad corpus, & vtrisque de nihilo quantum ad animam, *Benedixitque illis Deus, & ait: Crescite, & multiplicamini, & replete terram:* Quæ multiplicatio fuit generatio successorum in eadem specie consimilis essentiæ, facta naturaliter ab vnoquoque parente, proprij seminis interuentu: non autem a Deo formaliter ac proprie, qui solum iussit eam fieri a generantibus, quibus primo solum dedit vim generandi; licet cum ijs postea concurrat ad effectus generandos, tanquam causa prima, & vniuersalissima, conseruans, & guber-

r 1. mag. mor. c. 10.

s Gen. 1. 11. 12.

t Gen. 1. 22.

u Gen. 1. 28

gubernans omnes secundas; qua de re pariter Aristoteles, x cui *Duplicia autem sunt principia mouentia physice; quorum alterum non physicum est; non enim habet motus principium in seipso; tale autem est, si aliquid mouet, quod non mouetur; vt id, quod penitus est immobile, & quod omnium primum est*. & alibi: y *Et homo hominem generat: præter hæc item cuncta mouens, tanquam omnium primum*.

x 2. phys. t. 73.

y 12. meta. t. 24.

Productio vero rei cuiusque quantum ad esse primum illud existentiæ simplicis transcendentalis, prout ab esse prædicamentalis essentiç contradistinguitur, non pendet a causis secundis vllo pacto per actum physicæ generationis, at a solo Deo per actum simplicis, & proprijssime dictæ creationis e nihilo; siquidem nihil agit vltra

I. suas vires; quum ergo parentes, & agentium secundorum quælibet actio, contineatur in coordinationibus entium prædicamentalium; non possunt esse causæ productrices entis transcendentalis; cuiusmodi vidimus esse existentiam; quæ propterea produci potest a solo Deo, qui solus transcendit omnia prædicamenta, nullo genere

II. conclusus. Deinde quum existere sit esse simplicissimum, nullam in se compositionem habens ex genere ac differentia, non potest prouenire ab essentia compositionem generis & differentiæ obtinente, cuiusmodi est quçlibet causa secunda: sed a solo Deo simplicissimæ naturæ prouenire

III. valeat. Deinceps quum ipsum existere sit esse vniuersalissimum, quo cuncta communicant; non potest ab vlla secundarum causarum produci; quæ minus illo *esse* sunt vniuersales; debet enim effectus correspondere causæ suæ in vniuersalitate; docente z Philosopho, vniuersalium effectuum causas esse pariter vniuersales; alioqui minus vniuersalis causa producens effectum seipsa vniuersaliorem ageret vltra suas vires: quamobrem esse transcendens existentiæ cuiusque rei, quo res extra

z 2. phys. t. 38.

tra

tra nihil constituitur, a solo Deo qui causa est vniuersalissima producitur ex nihilo per proprijssime dictam creationem. Amplius existentia est illud esse diuinum atque IV.
perpetuum, quod omnia semper appetunt; & cuius gratia agunt, quæcunque agunt secundum naturam, vt ait *a* Aristoteles; at esse diuinum a Deo solo est; non ab vlla causarum secundarum; & finis vniuersalis, cuius gratia cuncta secundum naturam agunt, a Deo pariter est, non ab vlla causa secunda: igitur esse transcendentalis existentiæ, qua cuncta constituuntur extra nihil, ex nihilo creatur a Deo, qui propterea creator omnium audit in sacra pagina, non autem a causis secundis. Insuper esse transcendentalis existentiæ est esse simplicissimum ac vnicum, in quo cuncta communicant indifferenter; sed illud vnum, in quo singula communicant indifferenter, non potest prouenire a multis causis nec ab omnibus collectiue sumptis infra Deum degentibus; ast a solo Deo, quatenus vnus est omnia continens in esse; vt præmissa demonstratione colligit Aristoteles aperte simul & pulchre, *b* scribens: *Manifestum est igitur, quod quamuis decies millies aliqua principia immobilium quidem, mouentium autem; & multa eorum, quæ ipsa seipsa mouent, corrumpantur: alia vero insuper generentur; & hoc quidem immobile existens hoc mouet, alterum autem hoc: at nihilominus aliquid esse, quod continet: & hoc, præter vnumquodque, esse id quod est causa vt alia quidem sint, alia vero non: & continuæ mutationis: & hoc quidem his, hæc autem alijs causa motus sint.* Quod quidem vnum principium immobile, causam continuæ generationis, & esse transcendentalis existentiæ, Deum ponit apertissime, pulcherrimeque Philosophus alibi dicens: *c Quoniam in omnibus inquimus quod melius est, desiderare naturam semper: melius autem esse quam non esse: esse autem quot modis dicitur, in*

a 2. de an. t. 34. 35.

V.

b 8. phys. t. 47.

c 2. de gen. t. 59.

alijs

alijs dictum est (nimirum in Metaphysica docuit, duplex esse reperiri, quorum vnum est esse transcendens existentiæ; alterum prædicamentale naturæ, seu essentiæ; quod vlterius multiplex est, in decem summa rerum genera distributum *) hoc autem* esse transcendens existentiæ *in omnibus impossibile existere* semper, *propterea quod longe a principio distant (*quod est immateriale sempiternum ens per essentiam independens omnino*) reliquo modo compleuit totum Deus, continuam faciens generationem; ita enim continuabitur ipsum esse; quia proxime est substantiæ, fieri semper generationem*. nempe Deus complet esse totum, constitutum ex esse essentiæ, ac esse existentiæ cuiusque rei, dum ipsi esse essentiali naturæ prædicamentalis a generante causa secunda producto, in termino generationis adiungit esse transcendens existentiæ, quæ complementum est essentiæ genitæ; cuius perpetuitatem secundum speciem eorum, quę propter materiæ contagionem distant a primo principio immateriali, promouet Deus continuam faciens generationem indiuiduorum sibi semper in eadem specie succedentium. Quum igitur esse transcendens existentiæ sit quo res extra nihil in mundo constituuntur, ex nihilo per proprijssime dictam creationem produci debet; nam nihil habet ante se, ex quo tanquam ex principio permanente produci valeat; etenim transcendentia nihil omnino præsupponunt, præter Deum; & nihil habent ex quo permanente in seipsis constituantur; quum simplicissima sint. Dum ergo Deus
d Eccli. 24. in sacra pagina colitur *d creator omnium*, & hoc est ratione transcendentalis existentiæ; iam e sacra scriptura clare
VI. re colligitur creatio omnium ex nihilo. Præterea quum existentia sit esse simpliciter, quo res absolute constituitur in mundo extra nihil, iam ea ex nihilo deduci debuit; quippe ante primum esse simpliciter in mundo extra nihil,

nihil, nihil est, ex quo transcendens hoc esse primum & simplicissimum produci valeat; quare non a causis creatis vllis existentia rerum omnium per actum physicæ generationis ex præsupposito principio permanente produci valet; sed a prima causa solum, quæ Deus est, per actum creationis ex nihilo; & hac ratione scriptura sacra veneratur Deum creatorem omnium ex *e* nihilo verbis expressis: *Mundi creator, qui formauit hominum natiuitatem, quique omnium inuenit originem.* & mox: *Qui ex nihilo fecit cælum & terram, & omnia quæ in eis sunt, & hominum genus.* Dum ergo sacra scriptura tribuit Deo sub ratione creatoris mundi productionem ex nihilo cæli & terræ, & omnium quæ in eis sunt, & humani generis, nonne ponit expresse creationem ex nihilo? quomodo dissimulans hæc, id negat opinio noua? Denique legimus in sacro codice, *f Deus, qui fecit mundum, & omnia quæ in eo sunt.* & mox, *In ipso enim* Deo *viuimus, & mouemur, & sumus.* nempe tria considerantur in nobis, vt in qualibet alia re, VITA, quam Aristoteles appellat esse essentiæ, dicens: *g Ipsum autem viuere viuentibus esse est:* MOTVS, quo designantur omnes actiones essentiam consequentes; nam actiones omnes *h* eidem cum motu sunt: ESSE vero simpliciter est esse transcendens existentiæ: De quo Salomon ait: *Deus creauit vt* essent omnia:* quorum esse est finis creationis eorum. Quæ tria sic a Deo dependent, & sunt in Dei potestate; qui dicitur Aristoteli *i* esse in vniuerso, & vicissim cuncta sint in illo: vt essentia, & actio consequens essentiam oriatur a causa secunda proxime ac immediate; sed a Deo vt a causa communi secundam & eius actionem conseruante, atque gubernante; ceterum esse transcendens existentiæ cuiusque rei, tum quantum ad essentiam, tum quantum ad actionem quamlibet ab essentia promanantem,

e 2. Macha. cap. 7. 23. 28.

f Act. 17. 24 28.

VII.

g 2. de an. t. 37.

h 3. meta. t. 3.

* Sap. 1. 13. 14.

i 7. eud. c. 19.

pendeat a solo Deo vt a primo ente, talem existentiam & essentiæ, & actionis ab essentia prodeuntis vere creante de nihilo: Quapropter in sacra pagina mirifice cluet creatio rerum omnium a Deo de nihilo: Quam doctrinam apertissime coluit D. Thomas, ab opinione noua * receptus in productione Filij Dei; dum inquit primo, k *Quod aliquid dicatur creatum, hoc magis respicit esse ipsius, quam rationem*, hoc est formalem essentiam, atque naturam: & alibi clarius: l *Sicut ergo quum per naturam fit aliquid ex suo opposito, sicut esse animal fit ex non esse animal; ita necesse est, esse simpliciter, quod est proprium Dei effectus, emanare ex non esse simpliciter; & hoc est alterum extremum contradictionis; non quod ipsum non esse necesse sit duratione præcedere ipsum esse, sed natura tantum. Propria ergo causalitas Dei attingit extrema contradictionis, quæ extra genus sunt; & ideo actio sua nihil supponit necessarie; & hæc actio est creatio*. & mox: *Esse autem diuinum proprie est ratio creationis; quia per creationem omnes res communiter accedunt ad participationem esse, quantum est eis possibile, non autem naturam diuinam. Ipsa enim non participatur a creatura; licet ibidem sit esse, & natura quæ non est de genere motuum; quum non habeat aliquod subiectum tanquam principium motus sui. Motus autem semper est in mobili, vt in subiecto; inde est, quod hæc actio sua solummodo est, & nulli creaturæ communicatur. Actio enim rei non excedit principia ipsius, per quæ agit: omnis autem res creata in genere est; vnde impossibile est, creaturam ad id, quod non est in genere, attingere tanquam subiectum suæ actionis. Huiusmodi autem sunt esse, & non-esse, quæ sunt extrema contradictionis, & creationis, & ideo nulla creatura creare potest*. & mox: *Esse namque diuinum proprie est ratio creandi; quia per creationem omnes res communiter accedunt ad participatum esse, quantum est eis possibile, non autem naturam diuinam:*

* in apol. secunda.
k 3.p.qu.2. a.7.ad 3.
l opusc.37. c.4.

nam: Ipsa enim non participatur a creatura; licet ibidem sit esse, & natura, & sapientia, & potentia, siue quodcumque huiusmodi: huiusmodi enim in paucis reperitur. In generatione m *vero non dicitur generatum ipsum ad participatum esse generantis, sed ad participandum naturam eius; aliter enim, quum esse sit suppositi, in tali natura foret participatio in supposito; & sic Sortes generaret Sortem: ideo in generatione Sortes non generat Sortem, quum suppositum non habeat nisi vnum esse incommunicabile: sed homo generat hominem. Natura enim manet vna secundum rationem naturæ; quum definitio sit vna. Deus vero non creat Deum, Deus enim nomen naturæ est, sicut homo. Ens tamen creat ens; ideo relatio creaturæ ad Deum fundatur super esse creaturæ. Relatio vero vnius rei ad aliam super ipsas res principaliter fundatur; ideo proprie actio creaturæ ad rem terminatur (vnde compositum est quod generatur. secundum Philosophum 7. Metaph. compositum enim habet naturam generantis) ad ipsum autem esse ex consequenti (quum compositi sit esse) Actio vero Dei, qua producit totam rem simul constitutam ex suis principijs, ad ipsum esse terminatur, quod est intimum, & maxime formale in se; quum in ipso esse rei saluetur alterum extremum* &c. Ex quibus aperte constat, actionem Dei in productione rerum, terminari proprie ac per se ad earum esse simpliciter, dicique vere creationem ex nihilo; quum actio creaturæ producentis terminetur, non ad esse simpliciter, sed ad naturam & essentiam prædicamentalem producentis, communicabilem producto; cui suum esse simpliciter communicare nequit; istamque creaturæ producentis actionem ideo non esse creationem, sed generationem; quia creatio terminatur ad esse simpliciter, quod est transcendere omnia prædicamenta; generatio vero terminatur ad esse hoc, siue ad esse prædicamentale, ac omnino ad naturam, & essentiam, quæ

m ibid.

communicari potest a producente ipsi producto. Quare secundum hanc veram doctrinam, in Diuinis Pater Filium non creat, sed generat, cui communicat suam naturam, non tamen illi tribuit esse simpliciter, vt male blasphemabat Arius, non esse suum: quia sic Pater se generaret, ac Filius esset Pater genitus: quæ dicere ab-
VIII. surdum est. Addam superioribus, mundum simpliciter a Deo creari non posse nisi ex nihilo; quia præter Deum & mundum nihil est, ex quo mundus produci valeat:
n 2. Macha. 7 23. sed in sacra *n* scriptura laudatur Deus *creator mundi:* ergo
Eccli. 13. 14. sacra pagina ponit creationem ex nihilo. * Quin & non semel Dauid agens de cunctorum entium productione,
* *IX.* quæ nuperrime recensuerat, ait de Deo: *o Quia ipse di-*
o Ps. 32. Ps. 148. *xit, & facta sunt; ipse mandauit, & creata sunt.* Sed præter ipsum Deum, & omnia ab eo creata, nihil est; igitur e sacra scriptura colligitur aperte creatio rerum e nihilo
X. quantum ad esse simpliciter. Denique vero primas naturas quantum ad essentiam prædicamentalem ab initio mundi, substantias incorporeas Angelorum, animas rationales, quin & cælum, ac terram creauit Deus ex nihilo in principio temporis; quum in æternitatis momento, ante principium temporis nihil omnino fuerit coæuum Deo, ex quo Deus primas illas naturas creare potuerit. An dicet opinio noua creatas ex materia prima?
p cap. 13. id quidem videtur, dum affert oraculum sapientiæ. *p Non enim erat impotens manus tua, quæ creauit orbem terrarum de materia informi.* Sed ad eliciendam creationem ex nihilo, quam ait nunquam in sacra scriptura legi, sat est in ea legi creatos Angelorum spiritus, qui de materia informi creati non sunt; sicuti nec cælum, cuius Creator Deus legitur in Apostolorum Symbolo. Sed orbis terrarum dicitur creatus ex materia informi, non tanquam ex præsupposito principio: sed tanquam constans ex
con-

concreata materia informi. Non enim ante principium temporis, in quo Deus creauit cælum & terram præfuit materia informis, ex qua postea Deus orbem terrarum creauerit; quia nefas est materiam illam informem ante tempus omne ponere coæuam Deo. Si vero Deo æterno coæua non est, sed ipso posterior; tum in indiuisibili momento æternitatis, quæ duratio sola concipitur ante principium vniuersi temporis, introducetur prius & posterius contra naturam æternitatis: tum materies illa fuerit a Deo creata de nihilo, cuius mandato cuncta creata sunt & visibilia, & inuisibilia, vt cum Propheta, & Apostolis Ecclesia confitetur. Quare saltem ratione materiæ primæ, non coęuę Deo, sed a Deo creatę de nihilo, theologice dicendum est dari creationem e nihilo; & ita creata de nihilo fuisse cuncta materialia: quod verum dogma profitetur autor nouæ opinionis in epitome sua theologica. Itaque falsum est secundum opinionis nouæ fundamentum, quo dicitur, e sacra pagina nunquam haberi creationem e nihilo. Sicuti male colligitur ex illo dogmate, quo frequenter habetur in Sacra Scriptura Deum creasse hominem de limo terræ, mulierem de costa viri, pisces & aues ex aquis; & stirpes, aliasque brutas animantes de terra; Filium Dei, qui dicitur vtcumque creatus a Patre, vere ac proprie de substantia Patris, tanquam ex præsupposito ac permanente principio vere ac proprie creatum fuisse, sicut allatæ creaturæ corporeæ; vt luculenter r antea nobis probatum demonstratumque fuit.

q di. 11. pag. 59. & seqq.

r cap 3.

Ter-

Tertium fundamentum opinionis nouæ, negantis, Factionem, tanquam genus Creationis, diuisum in factionem ex nihilo, & factionem ex aliquo, propositum a Scholasticis DD. Sanctisque PP. haberi ex Diuina Scriptura. Cap. XIV.

a l.1. defen. n.19. Eiusdem plane momenti censendum est opinionis nouæ tertium fundamentum, quo scribitur, *a Creatio Scholastice est factio alicuius entis ex nihilo sui. Genus vero creationis in hoc sensu est factio, quæ distinguitur in factionem ex aliquo, & factionem ex nihilo. Vndecumque sit hoc significatum acceptum, ex Sacra Scriptura non est, in qua nunquam reperitur hæc loquendi forma: creatio ex nihilo*. Nam in primis, factionem esse genus creationis, siue proximum, siue remotum, Scholastici cuncti, Sanctique Patres apte colligere potuerunt ex rei natura similiter & e Sacra Scriptura; quoniam omne creatum proprie factum est, non autem vicissim omne factum vere creatum est; etenim ab artifice facta domus, & nauis est; b 8.4. proprie creata non est: & apud Oseam, *b Aurum suum fecerunt sibi idola:* & ita sæpissime, simulachra gentium facta leguntur in diuinis literis; & proprie facta sunt: non sunt autem proprie creata; quare non est conuertibile factum cum creato; factum igitur, a quo non fit conuersio secundum subsistendi consequentiam, prius est, ac vniuersalius creato; si prius, & vniuersalius, necessario genus illius est. Functionem vero deinde distingui reuera in factionem ex aliquo, & factionem ex nihilo, notissimum est in sacro codice; de factione quidem ex aliquo legimus, *c Faciamus hominem:* &, *d Non est bonum hominem esse solum: faciamus ei adiutorium simile sibi*. Fecit autem Deus hominem de limo terræ; mulierem vero de costa viri. De factione similiter ex nihilo memi-

c Gen.1. 20.
d Gen.2. 18.

meminit aperte scriptura, dum agit de productione hominis quantum ad animam, & de procreatione vniuersorum: Moses enim ait: *Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ* (quantum ad corpus) *& inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & e factus homo in animam viuentem:* quam ex nihilo fecit Dominus Deus; qui propterea fecit hominem quantum ad animam ex nihilo. Quod alibi repetit oraculum diuinæ scripturæ dicens: *f Peto nate, vt aspicias ad cælum & terram, & ad omnia, quæ in eis sunt: & intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus: & hominum genus:* nam ex nihilo fecit Deus cælum & terram, tum quantum ad essentiam, tum quantum ad existentiam: omnia vero, quæ in eis sunt, ex nihilo fecit Deus quantum ad esse transcendentalis existentiæ; nam quantum ad propriam cuiusque naturam, quæ prædicamentalis essentia est, fecit illa Deus ex materia, & omnino ex aliquo principio præsupposito in eis permanente. Genus autem hominum fecit Deus tum ex nihilo non solum quantum ad animam, sed etiam quantum ad transcendentalem existentiam, vt ostendi g nuperrime: tum ex aliquo quantum ad corpus. Et Ecclesiasticus hanc vtramque factionem celebrans infit: *h Deus creauit de terra hominem* (quantum ad corpus) *& secundum imaginem suam fecit illum*, quantum ad animam, ex nulla materia, sed ex nihilo productam. Et Apostolo, *i Factus est primus homo Adam in animam viuentem*. Vt apertissime constet, e sacra pagina desumi diuisionem factionis in factionem ex aliquo, & factionem ex nihilo. Quod autem deinceps affertur, in sacra scriptura non inueniri formam istam loquendi, *Creatio ex nihilo:* nihil hoc fauet antagonistæ, nihilque nobis officit, asseuerantibus cum Ecclesia Catholica creationem ex nihilo; namque satis est, in sacris oraculis haberi frequentem mentionem *creationis*

e Gen. 2.7.
f 2. Machab. 7.28.
g cap. 13.
h 17.1.
i 1. Corint. 15.45.

tionis illarum rerum, ante quarum productionem nullum omnino præfuit principium, in ipsis permansurum, ex quo Deus creator omnium illas creauerit; namque propterea creauit illas e nihilo: de quibus multa sacræ
k cap.9. scripturæ testimonia retulimus, & explicauimus k antea. Speciatimque notauimus ita creatos ex nihilo spiritus
l Eccli.39. 33. *l* Angelicos, etsi postea rebelles: cælum, & terram in
m Gen.1.1. *m* principio: hominem ad *n* imaginem Dei, quoad ani-
n Gen.1. 27. mam rationalem: vniuersum *o* opus Dei: & absolute
o Gen.2.3. 4. *p* omnia. Quare rectissime Patres, & omnes orthodoxi Scholastici creationem proprijssime sumptam ex sacra
p Eccli.24. 12. scriptura definiunt esse factionem, siue productionem entis ex nihilo: Factionemque ponunt genus creationis, & distinguunt in eam, quæ est ex nihilo; & in eam, quæ est ex aliquo. Sed & omne creatum esse factum, euidentissime colligitur e sacra pagina, de rebus ijsdem
q Ps.32.9. numero prorsus vtrumque pronunciante, *q Quoniam ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt*. & ali-
r Ps.148.8. bi similiter: *r Quia ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit,*
s Iudith.16. 17. *& creata sunt*. & alio loco: *s Tibi seruiat omnis creatura tua; quia dixisti, & facta sunt, misisti spiritum tuum, & creata sunt: & non est, qui resistat voci tuæ*. & in nouo Testamento profitetur Ecclesia Mater articulum primum Fidei: *Credo in Deum Patrem omnipotentem creatorem cæli & terræ*, in Apostolorum Symbolo: & *Credo in vnum Deum Patrem omnipotentem, factorem cæli & terræ*, in Symbolo Concilij Nicæni. Sic igitur in diuina scriptura omnis creatura dicitur ex æquo & *facta*, & *creata:* vel ergo synonyma sunt ista duo, *creatum*, & *factum*; tunc in sa-
t 2.Macha. 7.28. cra pagina quum habeamus *t facta ex nihilo*;iam in eadem aderit forma lóquendi, *creatio ex nihilo*. Vel *τὸ facere* fuerit vniuersalius, quam sit *creare*; quare factio genus erit, sub quo continetur creatio, contra placitum opinio-

nionis nouæ. Vel viceuersa, *facere* dicitur species ipsius *creare*; quapropter concedenda iam erit creatio ex nihilo in sacris literis, in quibus habetur *factio ex nihilo*; nam attributa specierum, essentialia potissimum, de generibus prædicari certissimum est; si namque diuiditur animal in rationale, & irrationale; profecto necessarium est, dari substantiam corpoream rationalem, & irrationalem; quum substantia corporea sit genus continens animalis naturam sub se. Non ergo firmum est opinionis nouæ tertium fundamentum.

Quartum fundamentum excutitur, quo noua opinio se veram esse probare nititur, quoniam Arij rationem hæreticam diruat. Cap. XV.

QVod insuper opinio noua probare conatur, se veram esse, quia soluat argumentum Arij; necessitatem non habet vllam: ait enim ipsius autor in sua manuscripta Defensione secunda (quam a nonnullis æui nostri Theologis approbatam subscriptionibus, ad me transmisit vltro legendam, a me non quæsitam) ipsissimis verbis: *Quam autem sit vtilis nostra explicatio, constat ex eo, quia fundamentum præcipuum, quo Arius infestabat Catholicos, erat illa Prouerb. autoritas, ex qua arguebatur: Creatio est factio ex nihilo: Sapientia Dei, id est Filius Dei est creatus: ergo est factus ex nihilo, siue vt illi loquebantur, ex non extantibus; & erat aliquando, quando Filius non erat. At fundamentum nostrum negat & genus, & differentiam creationis; nam Productio est communior, & abstrahit a creatione: Factioque non est genus creationis: EX NIHILO, non est differentia creationis, sed EX ALIQVO. Atque hoc totum probo per scripturas, expresse ac explicite ponentes creationem ex aliquo præsupposito principio: vt Sap. XI. creauit orbem terra-*

rum de materia. Eccl. 17. Deus creauit de terra hominem: Genes. 1. Creauit Deus cete grandia, & omnem animam viuentem atque motabilem, quam produxerant aquæ in species suas: & omne volatile secundum genus suum. &c. In his multa diligenter consideranda sunt; & primum, quod hæc explicatio noua dubio procul esset vtilis ad euertendam hæresim Arij, si præcipuum hæretici fundamentum impeteret ipsa ratiocinio prorsus inculpato, seruante Logicæ canones in veris propositionibus. At vero quoniam Arij syllogismo malo, solum in materia falsæ propositionis vitioso, citra formæ syllogisticæ labem constructo, nunc opponit opinio noua peiorem elenchum, in materia pariter falsæ propositionis, & insuper in forma dialectica multiplici ratione peccantem, vt* antea demonstratum est; profecto recens hæc explicatio nedum inutilis est euertendæ funditus Arianorum hæresi; sed ipsam nihil omnino turbans potius confirmare videtur, aduersus quam plumbeo gladio pugnare contendit; etenim aduersarius hostem iactantem vibrantemque plumbeos pugiones irridet nihili faciens, ac illæsus e pugna redit audacior, & efferatior. In mentem veniunt, quæ plurimum sibi cauere debet in proposito recentis opinionis autor, D. Augustini dicta contra Iulianum: *a Vides nempe, quam dialectice nihil dixeris: & nulla quidem culpa est dialecticæ disciplinæ, quantum a tramite eius exorbitaueris. Videris illius artis verbis ad hoc te vti, vt eis inflatus attonitos facias imperitos, volendo videri esse, quod non es. Quod si esses, ad eum modum quo ista disputanda sunt, nihil esses, & ineptus, & imperitus: tunc autem ineptus artifex esses, & tamen dialecticorum quasi iaculis oneratus acutis, in certamen procedis, & iactas plumbeos gladios.* Ceterum omissa iam forma syllogistica recentis opinionis, * antea satis excussa, si nunc secundo loco materiam eius,

*cap.3.

a to.7.l.3. c.7.

*cap.3.

eius, propositiones nempe syllogismi consideremus, vt opinionis nouæ autor facit, in relatione ad argumentum hæreticum Arij, falsamq; ipsius hæretici propositionem: absolute dicimus, non omne dogma, quod vtile sit ad euertendam Arij falsam opinionem, hoc ipso protinus verum & catholicum esse; nam ea est inter verum & falsum differentia; quod verum semper quidem falso repugnat, & vero consentit; sed falsum promiscue tam vero, quam alteri falso contrariatur, vt consentire valeat alij falso, nunquam tamen vlli vero. Quare mutuo sese destruunt positiones contrariæ, simul ambæ falsæ; cuiusmodi sunt, *Omnis homo albus est; Nullus homo albus est*, apud *b* Aristotelem: sic *Omnis creatio est ex nihilo*, vt ait Arius: *Nulla creatio est ex nihilo*, vt inquit opinio noua: nam aduersus Arium scriptura dicit; *c Creauitque Deus cete grandia, & omnem animam viuentem, atque motabilem, quam produxerant aquæ in species suas, & omne volatile secundum genus suum:* & alibi: *d Deus creauit de terra hominem:* vt illi recte obijcitur: sed & aduersus opinionem nouam eadem sacra scriptura dicit: *e Peto nate, vt aspicias ad cælum, & ad terram, & ad omnia, quæ in eis sunt: & intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus, & hominum genus.* & alibi: *f Sunt spiritus, qui ad vindictam creati sunt:* Ne multas alias afferam sententias e sacra pagina fuse *g* dudum allatas, in quibus agitur de creatione rerum ex nihilo. Sic ergo multæ positiones falsæ sunt ad inuicem contrariæ, seseque mutuo destruunt; vt propterea noua opinio non recte se colligat esse veram, quia destruat Arij falsam opinionem. Quin & ex falsis aliquando colligitur verum, ex veris autem nonnisi verum, *h* Aristoteli: Quare opinio noua de Creatione Verbi ex aliquo, licet in se falsa sit, aliam falsam Arij de Creatione Verbi ex nihilo, potest inpugnare, ac expugnare facile. Porro

b 1. perih. c. 5.
c Gen. 1. 21.
d Eccl. 17. 1
e 2. Macha. 7. 27.
f Eccli. 39. 33.
g cap 8.
h 1. poster. t. 16. 45.

pridem Arius infestabat Ecclesiam illo suo syllogismo: Creatio est factio ex nihilo: Filius Dei creatus asseritur
i cap.8.22. 23.24. in *i* Prouerbijs: ergo est factus ex nihilo. Sed facile diluitur, negata maiore; quia non omnis creatio est productio ex nihilo; sed solum proprijssime dicta, quinti
k cap.8. modi *k* superius explicati, qua non est creatus Filius Dei, sicut ostendimus ibi: In Prouerbijs autem sermo fit de creatione primi significatus alienissima, qua Dei Filius a Patre constituitur principium omnium operum suorum,
l Ioan.1.3. Symb. Nicæn. ac eum per *l* quem omnia facta sunt; sicut olim
m cap.4. *m* explicaui luculenter. Profecto noua opinio negat definitionem creationis vniuoce ac proprijssime sumptæ, communiter acceptam in Concilijs Orthodoxis, adeoque in Ecclesia Dei; quum tamen ea suscepta, nihilominus Concilium Nicænum, & aliæ Catholicæ Synodi rectissime soluant argumentum Arij peccans in sola materia falsæ propositionis. Deinceps opinio noua negans absolute, tum Creationis genus esse, *Factionem*: tum eiusdem proprijssime sumptæ differentiam esse *ex nihilo*, contradicentem habet rationem ex rei natura depromptam, quin & sacram scripturam. Sane productio communior est & creatione simul, & factione; a quibus vtrisque abstrahit, tanquam earum genus; nam productio est genus effectionis, siue factionis; quæ sunt idem
n 6. ethic. c.4. omnino apud *n* Aristotelem: quoniam Ars, quæ definitur
6.metr.t.1. o 6.eth.c.4. ab *o* ipso esse habitus recta cum ratione effectiuus, facit proprie vereque res omnes artificiosas; quas tamen proprie vereque non creat. Effectioque, siue factio genus est ad Creationem, medium scilicet inter Productionem, & Creationem; cuius Factio propterea est genus
p Postpræ. dic.c.2. proximum, Productio remotum; nam ex *p* Aristotele manifestum est, ea esse communiora, prioraque semper, a quibus non fit conuersio secundum subsistendi consequen-

quentiam. Quum itaque ficut omnia creata, facta funt; non ita omnia facta, creata fint; eademque prorfum ratione, omnia facta, producta fint; non ita viciffim omnia producta, facta fint: nam Filium Dei ab æterno productum Orthodoxi fatentur omnes; qui cum Nicæno Symbolo, & Athanafiaco, ab Ecclefia Catholica receptis, eum factum effe pernegant, canentes, *Genitum, non factum:* neceffario fatendum eft aduerfus opinionem huiufmodi nouam, τὸ *facere* communius effe quam fit *creare:* pariterque τὸ *producere* quid vniuerfalius effe quam fit *facere*; adeo vt Creatio fit fpecies effectionis Factionisve, Factioque fit fpecies productionis. Quod etiam conftat e facra pagina, quæ legit: *q Producant aquæ reptile animæ viuentis.* & mox: *Creauit Deus cete grandia, & omnem animam viuentem, atque motabilem, quam produxerant aquæ in fpecies fuas.* etenim aquæ non creauerunt, fed ad imperium Dei creantis produxerunt pifces & aues: Et inferius: *r Faciamus hominem ad imaginem & fimilitudinem noftram.* & mox: *Et creauit Deus hominem ad imaginem fuam, ad imaginem Dei creauit illum, mafculum & feminam creauit eos.* & antea: *f In principio creauit Deus cælum & terram:* & alibi: *t Auxilium meum a Domino, qui fecit cælum & terram.* & alio loco de cunctis creaturis collectiue fumptis non femel: *u Quoniam ipfe dixit, & facta funt: ipfe mandauit, & creata funt.* & alio loco fæpe citato: *x Peto nate, vt afpicias ad cælum & terram, & omnia quæ in eis funt: & intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus & hominum genus,* nempe quoad animam, quæ creata propriiffime fuit ex nihilo. Ex quibus apertiffime conftat, in facra fcriptura Creationem dici factionem, & factionem ex nihilo. Quare dicens opinio noua, creationis differentiam fpecificam non effe τὸ *ex nihilo*, fed τὸ *ex aliquo*, tum manifefte reclamat allatis

q Gen. 1. 19 20.
r Gen. 1. 26.27.
f Gen. 1. 1.
t Pf. 120.
u Pf. 32. 9. 148 5.
x 2 Macha. 7.28.

locis

locis diuinæ ſcripturæ; tum non diſcernit creationum genera, quæ clare diſcernuntur in ſacra pagina; namque ſacer textus ponit non ſolum creationem vniuoce proprijſſimeque dictam quinti modi, nimirum ex nihilo, qua creauit Deus in principio cælum & terram,& omnia quæ in eis ſunt, & humanum genus ad imaginem ſuam quoad animam, & Angelos, & ſi placet materiam primam, ex nihilo; nullam in horum creatione præſuppoſiti ſubiecti mentionem vnquam faciens: verum etiam analogice ſumptam, ſiue proprie ſimpliciter; qua Deus creauit hominem quoad corpus de limo terræ, mulierem de coſta viri, bruta, & plantas primas item ſingillatim ex materia indiſpoſita, ſicuti late ſuperius oſtenſum eſt euidentiſſime: Quin & communiter, ac abuſiue ſumptam, qua Deus creauit Filium ſuum, initium viarum ſuarum, vt
y cap. 11. cum y D. Auguſtino late ſuperius viſum eſt, & cum Cy-
z cap. 15. & ſeqq. rillo, ceteriſque Patribus Orthodoxis, & z infra quoque ſatis explicabitur. Ex habitis iam plane conſtat euerſio quarti fundamenti nouę opinionis, quo ſe verum eſſe contendit, quia ſit vtilis ad confutandam rationem ac hæreſim Arij; nam facile ſe tueri poſſet Arius ab argumento nouæ opinionis, aſſerens ipſum contra ſe nihil omnino concludere; quum purum putum ſophiſma ſit in materia pariter & in forma multiplici ratione peccans; vt in ſuperiori capite viſum eſt. Quare, vt nuper adnotabam, malum Arij ſyllogiſmum in materia ſola peccantem, ſine formæ vitio prorſus vllo, dum diruere ſtudet opinio noua peiore ratiocinio, quod eſt paralogiſmus in materia nedum, ſed etiam in forma multipliciter vitioſus, vt oſtendimus, Aethiopem lauare fruſtra conatur inutili prorſum labore. Quinimmo vires addit Arianorum petulantiæ, qui vident ſe ſophiſmatibus incaſſum impeti facile ſolubilibus. Itaque nullam vtilitatem ad-
uerſus

uersus Arium affert opinionis nouæ quartum illud fundamentum.

Quintum fundamentum recentis opinionis excutitur; quo tractatur de Catholico sensu Creationis Verbi ad intra, proposito ab Orientalis Concilij Patribus, & a Diuo Thoma. Cap. XVI.

ALiud fundamentum sui profert opinio noua, scribens: *a Ego expresse doceo Filium Dei esse productum, non ex nihilo, sed ex substantia Patris præsupposita ordine originis, vel naturæ, vel rationis, Filio producto: in quo sensu Catholicorum dicitur Filius creatus*. Certe Filius ab æterno productus est, non ex nihilo, sed ex substantia Patris, præsupposita ordine, vel origin is, vel naturæ, vel rationis, Filio producto: verum pariter est, hunc esse catholicorum sensum: sed procul a vero nimium abest, & a Fide catholica, in hoc sensu ab orthodoxis dici Filium creatum; nam a Concilijs Catholicis, Hilario, D. Thoma, Bellarmino, & alijs Sanctis Patribus; in hoc sensu productionis Filij de præsupposita substantia Patris, dicitur Filius genitus formaliter, non autem creatus; at creatus dicitur, quatenus producitur a Patre, tanquam a producente immutabili, nulla relatione habita ad substantiam Paternam communicatam; quæ respicit solam Filij generationem, quatenus ab eius creatione contradistinguitur; sicuti luculenter apud Hilarium, D. Thomam, & Bellarminum * antea demonstrauimus ex Orientali Concilio Catholico, qualis, dicit *b* Hilarius, fuit *Synodus Orientalis*, tum *Nicæna*, tum *Sardica*, *congregata ex diuersis Prouincijs Orientalium partium, Thebaida, Aegypto, Palæstina, Arabia, Phœnicia, Syria, Cœle, Mesopotamia, Cilicia, Cappadocia, Ponto, Paphlagonia, Galacia, Bithynia, Hellesponto, Asia, Phrygys dua-*

a in 2. apol. m. 5.

* cap. 10.

b lib. de Synodis.

duabus, Cycladum insularum, Pamphilia, Caria, Lydia, Europa, Thracia, Oenisponto, Massilia cum Mysia, Pannonijs duabus, hanc exponimus Fidem: quæ scilicet continetur in definitionibus Concilij dudum relatis ab Hilario: qui contra nouam opinionem aperte declarans numero quintam Fidei definitionem, a Concilio promulgatam, ait Filium Dei ęternum dici tum genitum a Patre, tum etiam creatum, sed distinctis plane rationibus; genitum quidem, quatenus productus est ex substantia Patris: creatum vero quatenus a Patre productus est absque producentis vlla mutatione: Quæ duo distinguuntur in hoc eodem Catholico sensu, tam a D. Thoma, quam a Bellarmino manifestissime; sicuti luculenter antea vidimus: & sacrarum scripturarum interpretes irrefragabiles Orthodoxorum Conciliorum Patres illi maximo numero in Spiritu-Sancto congregati; nam ipsi constituunt Ecclesiam Catholicam; cui vnus, aut alter Theologus, extra Concilium scribens, nedum contra Concilij decreta scribens, comparari non potest, reclamare non debet. Qui ergo dicit, Filium æternum Dei creatum esse ex aliquo, quia productus est ex præsupposita substantia Patris, contra decreta Concilij, confundit rationem Creationis cum idea generationis in Filio; quæ duo Patres illi Catholici voluerunt esse distincta: definitque creationem per extranea, quæ propria sunt generationis, prout a Creatione contradistinguitur, vt antea visum est. Vnde nihil magis abest a sensu Catholico Patrum Orthodoxi Concilij memoratorum, quam dicere Filium æternum Dei creatum esse ex aliquo, quia productus sit ex substantia Patris; quum hoc ad generationem Filij pertineat, quatenus contradistinguitur essentialiter ab eius Creatione, quæ tota consistit in sola producentis immutabilitate. Quod autem suffragium ex D. Thoma sibi desumere conatur

mox

mox opinio noua, dum *c* addit: *At quum S. Thomas 1.p. q.41.ar.3.in f. dicat Generationem Filij dici Creationem, & Filium nuncupari Creatum:* irrito conatu laborat; etenim apertam vim, atque corruptionem textui palam infert; D. namque Thomas nec ibi, nec alibi scribit vsquam, generationem Filij dici creationem, etsi dicat ibi Filium appellari creatum, & genitum. Ne pigeat ad veritatis elucidationem repetere verba textus, quæ sunt ipsissima: *d Vel per hoc, quod Sapientia Creata, & genita nuncupatur, modus diuinæ generationis insinuatur. In generatione enim, quod generatur, accipit naturam generantis; quod perfectionis est: In Creatione vero, Creans non mutatur, sed creaturam non recipit naturam creantis. Dicitur ergo Filius simul creatus, & genitus; vt ex creatione accipiatur immutabilitas Patris, & ex generatione vnitas naturæ in Patre & Filio. Et sic exponitur intellectus huius scripturæ ab Hilario lib. de Synodis.* Ex eo vero, quod S. Thomas ait, Filium dici simul creatum, & genitum, colligi non potest a viro Theologo, generationem Filij esse Creationem, tum ob rationes *e* antea productas; tum etiam, quia licet in Diuinis Spiritus-Sanctus procedat a Patre simul & a Filio: Paterque simul & Filius producant Spiritum Sanctum sub ratione vnius principij, vt ponit *f* D. Thomas, inquiens: *Respondeo dicendum, quod Pater & Filius in omnibus vnum sunt, in quibus non distinguit inter eos relationis oppositio. Vnde quum in hoc, quod est esse principium Spiritus-Sancti, non opponantur relatiue; sequitur quod Pater & Filius sunt vnum principium Spiritus-Sancti.* Non tamen ex his colligi potest, ex mente D. Thomæ Patrem esse, vel dici Filium; neque vicissim Filium esse, vel dici Patrem. Quam sententiam communem esse Patrum orthodoxorum omnium, recte monet D. Bonauentura scribens: *g Omnes istam concedunt: Pater & Filius sunt*

c in apol.2. m.5.

d 1.p.q.41 3.ad 4.E.

e cap.9.

f 1.p.q.36. ar.4.C.

g 1.se.di.29 a.2.q.1.

vnum principium Spiritus-Sancti. Quod dogma recepit
h 5.d.Trin. c.14. vterque a D. Augustino, qui dicit: *h Fatendum est, Patrem & Filium principium esse Spiritus-Sancti, non duo principia. Sed sicut Pater & Filius vnus Deus; & ad creaturam relatus, vnus Creator, & vnus Dominus; sic relatiue ad Spiritum-Sanctum, vnum principium. Ad creaturas vero, Pater & Filius & Spiritus-Sanctus vnum principium, sicut vnus Creator, & vnus Dominus*. Ex eo ergo, quod vnus Creator est Pater & Filius & Spiritus-Sanctus: & apud D.Thomam vnum principium spirans est Pater & Filius, colligere non possumus ad eius mentem, quod Pater sit Filius; neque vicissim, quod Filius sit Pater: ita scribens
i 1.p.q.41. 3.in f. in allato loco *i* D.Thomas: *Per hoc, quod sapientia creata & genita nuncupatur, modus diuinæ generationis insinuatur*, non indicat, nec ait, generationem Filij esse creationem; sed hoc solum, productionem Filij varia ratione dici posse tum generationem, tum creationem; quia in se continet eminenter tum quod perfectionis est in generatione, videlicet communicationem naturæ generantis ipsi genito; tum etiam, quod perfectionis est in creatione, scilicet immutabilitatem producentis: vt ipsemet immediate S.Thomas explicat distincte, nosque fuse superius explicauimus. Quin & D.Augustinus hoc assertum, quo dicitur generatio Filij esse creatio, ponit esse purum putum Arij dogma damnatum ab Ecclesia, dum disertis
k l.1.con. adu. leg.& proph.c.23 verbis ait: *k Quantus quippe conflictus aduersus Arianos fuerit excitatus, ne vnigenitum Filium dicerent esse Creaturam, idem putantes Creatum esse quod genitum, ne iste fortassis ignorat*. Licet opinio noua de creationis alio genere loquatur, quam Arius. Verum enimvero nec argumenti superioris, e D.Thoma deducti, vim eludere potest opinio noua, dum adiungit: *Licet enim D.Thomas & Bellarminus solam immutationem creantis eliciant ex verbo,*

Crea-

Creauit; quia tamen creatio est subsistentium in 1. p. q. 45. ar. 4. Significabitur, quod Verbum est subsistens; quia Creatio momento impartibili fit, significare potest Nunc æternitatis impartibile, quo producitur Verbum. Duo sunt in his obseruanda, mirifice nouam istam Creationis positionem expugnantia: primum est, quod asseritur, *Licet enim D. Thomas, & Bellarminus solam immutationem generantis eliciant ex verbo, Creauit:* nam ista mutila sententia, sine adiectu adnexæ, qua tollitur a creatione, quod proprium generationis est; & falso ponitur ab opinionis nouæ satore, tanquam specifica differentia Creationis, autorem hunc non ad veritatem collineare demonstrat, sed ad fugam; ait enim cum Bellarmino, ex D. Hilario Beatus Thomas, quod nobis vel inuitis repetendum est: *l Per hoc, quod sapientia creata & genita nuncupatur, modus diuinæ generationis nobis insinuatur. In generatione enim, quod generatur, accipit naturam generantis; quod perfectionis est: In creatione vero creans non mutatur, sed creatum non recipit naturam creantis. Dicitur ergo Filius simul creatus & genitus, vt ex creatione accipiatur immutabilitas Patris, & ex generatione vnitas naturæ in Patre & Filio. Et sic exponitur intellectus huius scripturæ ab Hilario lib. de Synodis.* Et eadem affert ex D. Thoma Bellarminus. Non solum igitur D. Thomas, & Bellarminus eliciunt ex creatione immutabilitatem Patris, de qua nulla controuersia est; sed a creatione penitus excludunt expressis verbis vnitatem communicationemque naturæ, receptionemque naturæ creantis præsuppositę, *sed creatum non recipit naturam creantis*; quam receptionem naturæ creantis præsuppositæ opinio noua ponit differentiam specificam Creationis Filij Dei. Alterum est, quod silentio prætermissa doctrina necessaria præsenti quæstioni, violenter ad hunc locum D. Thomæ trahun-

l 1. p. q. 41. 3. in f.

tur alia eius dicta, quæ nihil ad propositum facere videntur, & ita proposita simpliciter absunt a vero: Dabo lubens Verbum Diuinum esse subsistens: Creationem fieri momento impartibili: verbum produci in Nunc æternitatis impartibili: sed hæc in ista D. Thomæ theoria locum non habent vllum; etenim solum eius intentio est explicare, quomodo Verbum ab æterno dici valeat genitum simul & creatum, aduersus Arianos asserentes ipsum esse creatum ex nihilo: nec considerat creationis mensuram, neque creatæ rei subsistentiam, vt aperte constat in allatis verbis D. Thomæ. Sed tamen concedere nequeo D. Thomam in 1.p.q.45.a.4. ponere creationem esse subsistentium in eo sensu, quo velit creari solum subsistentia & composita; nam id solum vult, composita & subsistentia proprie terminare posse creationem; at non propterea negat etiam accidentia, & animas, quæ composita non sunt, neque simpliciter subsistunt, creari proprie posse, creationemque terminare;

m Gen.2.7. nam aperte nouit in scriptura, tum, *m Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ: & factus est homo in animam viuentem*. Quo in loco *n* D. Thomas explicat *inspirare* pro eo quod est, *spiritum facere*: & mox: *o Respondeo dicendum, quod anima rationalis non potest fieri nisi per creationem*: tum etiam: *p Dixitque Deus: Fiat lux: & Facta est lux*: est autem lux proprie non subsistens, at qualitas in corpore lucido inexistens: tum demum: *q Ego Dominus, & non est alter, Formans lucem, & creans tenebras: Faciens pacem, & creans malum: Ego Dominus faciens omnia hæc*. Quis enim ignorat proprie subsistentia non esse, sed accidentia, lucem, tenebras, pacem, & malum? etsi mystico sensu substantias indicent, vt * antea visum est, Angelum, animas, cælum, & terram. Ceterum disputatio-

n 1.p.q.90.1.ad 1.
o art.2.
p Gen.1.3.
q Isai.45.6.7.
* in Præf.

tationi concedens, Creationem esse proprie solummodo compositorum, & subsistentium; iam inde noua opinio nihil habeat pro se, quo saluet in creatione Filij communicationem naturæ producentis ipsi producto locum habere specificæ differentiæ, potissimum in Creatione Filij Dei, tum quia Filius non est substantia composita, licet subsistens; Diuus [r] Thomas autem eo loci creationem vult esse proprie compositorum subsistentium, adeoque Filij Dei productionem a creatione prorsus excludit: tum quia in creatione compositorum, & subsistentium nulla creans creato communicat suam naturam, vt patet in ceteris omnibus; ex quibus oppositum opinioni nouæ plane colligitur. [r] 1.p.q.45.4.

Sextum opinionis nouæ fundamentum ex D. Augustino propositum, expenditur. Cap. XVII.

NIhilo firmius est iam dirutis fundamentum, quod quinto loco ponit opinio noua subdens: [a] *Sed sumendo Verbum, creare, prout frequenter accipitur in scriptura, ex D. Augustini autoritate lib. contra Adu. Legis & Proph. cap. 23. Creatio est ex eo quod est, ordinando aliquid constituere: sic Pater æternus ex sua substantia, quæ semper est, ordine originis constituit actiue, seu producit Filium.* Nam ista declaratio directe opponitur menti D. Augustini eo in loco; cuius sententia mutila quoque proponitur, vt ab autoris vero sensu detorqueatur, etiamsi vero luculenter hunc Augustini locum antea considerauerimus, tamen ad rei maiorem euidentiam lubet iterum hunc lapidem mouere: In primis enim ibi D. Augustinus, explicans illud oraculum Isaiæ, [b] *Ego Dominus, & non est alter, Formans lucem, & creans tenebras: Faciens pacem, & creans malum:* accipit verbum *creare* pro eo quod est velut ordinan-

[a] 2. apol. m. 5.

[b] cap. 45. 6. 7.

dinando ciuitates condere ex lapidibus antea inordinatis, & creare Magistratus ex hominibus præexistentibus absque tali dignitate; creationemque primi significatus improprijssime sumptam, contradistinctam ab ea, de qua disserimus, explicans, ait verbis ipsissimis: *c Sed iam Deus, inquit, per eundem Prophetam fatetur, & dicit:* d *Ego sum Deus faciens bona, & creans mala: Ita plane, Ipse est enim Deus, de quo dicit* e *Apostolus: Vides ergo bonitatem, & seueritatem Dei. Hæc autem seueritas eius damnabilibus mala est, quia malum illis damnationis importat. Nam quia iusta est, alio modo reperitur bona; omne enim iustum, bonum. Quam vero eleganter sibi videtur ille verba discutere atque discernere, nesciens quid loquatur? quandoquidem hoc ipsum quod ita posuit hoc testimonium, vt non diceretur faciens bona & mala: aut creans bona & mala: sed, faciens bona & creans mala: vult vertere in crimen; & conatur ostendere, quod fit, forinsecus fieri; quod autem creatur, apud ipsum esse creatorem, atque inde procedere, vt videlicet Deus Prophetarum tanquam extranei a se boni factor, aliquando fuisse videatur: creator autem mali, tanquam natura malus de seipso proferens quod creauit.* Quam hæretici sententiam hic a D. Augustino damnatam, caueat ne subeat opinio noua, dum pariter ponit τὸ facere esse de nihilo producere, sed τὸ creare in Filio, esse Patrem ex propria substantia communicata Filio, Filium producere. Subdit D. Augustinus de verbis istis duobus, Facere, & Creare: *Quæ verba si ex consuetudine consideremus locutionis humanæ, & fieri, & creari, non solum filij, quos de semetipso quisque generat, verum etiam Magistratus dicuntur atque vrbes, & quæcunque alia, quæ non exeunt de gignente, sed forinsecus fiunt. Si autem quomodo scripturæ sanctæ, quibus iste insidiatur, loqui soleant, perscrutemur, Aut hoc est facere quod creare; a quo tamen distinguitur gignere: & variandi verbi causa,*

c l. cōt. aduer. le. & Pro. c. 23.
d Isai. 45.
e Rom. 11. 22.

ſa, non ad aliquam rerum differentiam dici potuit, faciens bona & creans mala; quum dici etiam poſſit, creans bona, & faciens mala: Qui ſenſus facile colligitur ex vltimis verbis Iſaiæ; qui quum dixiſſet, *Formans lucem, & creans tenebras; faciens pacem, & creans malum:* addit: *Ego Dominus faciens omnia hæc:* atque ponens iſta veluti ſynonyma, proſcindit funditus opinionis nouæ fundamentum; quod innititur iſtorum nominum diſtincta variaque ſignificatione. Addit Auguſtinus: *Aut ſi vllam voluiſſet propheticus ſpiritus hic eſſe diſtantiam, multo accommodatius ſic acciperemus hæc verba, vt intelligeremus id fieri, quod ſi non fieret, omnino non eſſet; creari autem ex eo, quod erat, condi aliquid vel conſtitui; ſicut dicimus creari Magiſtratus, atque Vrbes: nam & illi ex ijs, qui iam homines erant, conſtituuntur in honoribus, quum Magiſtratus creantur: & ligna & lapides, quibus conſtruuntur Vrbes, vtique iam erant, ſed nondum in illam rerum ſeriem, quam videmus in Vrbibus, quodam ordine, & compoſitione venerant: quod quum fit, creari Vrbes dicuntur.* Quæ ſane differentia ſignificationis vocabulorum tantum abeſt vt fulciat opinionem nouam; quod eam penitus euertit: nam τὸ facere D. Auguſtino ſignificat, conſtituere id quod antequam fieret, non erat omnino, non quod ortum ſit ex nihilo, ſed quod ante ſui effectionem non erat ſecundum omnia ſui ſubſtantialia, ſed aberat forma ſubſtantialis illud in eſſe conſtituens, præexiſtente ſolo materiali principio; ſic Ariſtoteli, f *Quando autem totum tranſmutetur, non manente aliquo ſenſibili, vt ſubiecto eodem, ſed vt ex genitura tota ſanguis, aut ex aqua aer, aut ex aere omni aqua, generatio iam hoc tale, huius autem corruptio.* Quæ quidem generatio, quum ſit tranſmutatio totius, fit ex eo quod non erat omnino, non tamen ex nihilo; ſed ex materia ſine forma ſubſtantiali rei generandæ. Ad huius facere diſcri-

f 1. de gen. t. 23.

ſcrimen D. Auguſtinus ait Creare proprie eſſe conſtituere res aliquas actu præexiſtentes cum ſua forma ſubſtantiali, in aliquem ordinem aut dignitatis, aut. diſpoſitionis; qua ratione præexiſtentes homines creantur in Magiſtratus, & ex præexiſtentibus lapidibus inordinatis, & incompoſitis, per ordinis & compoſitionis interuentum creantur, & conſtituuntur Vrbes. Quas duas ſignificationes applicat immediate D. Auguſtinus ad locum Iſaiæ, ſubdens: *Quod enim Græci appellant κτίζειν, hoc Noſtri aliquando creare, aliquando conſtituere, aliquando condere interpretantur; quod ſæpiſſime idem ſignificat in*
g Gen. 1. 26 *illis literis, quod eſt, facere: Nam &* g *fecit Deus hominem*
h Sap. 2 f. *ad imaginem Dei: & Deus* h *creat hominem inexterminabilem, legimus.* Quibus D. Auguſtinus aperte fatetur, in ſacra pagina ſumi creare, ac facere in eadem ſignificatione: quod omnino tollit fundamentum opinionis nouæ. Cui non ſuffragatur, quod illico ſubnectit: *Et ſi aliquando cum aliqua differentia dicitur, hoc rectius poteſt intereſſe, quod dixi: vt facere ſit, quod omnino non erat: creare autem, ex eo quod iam erat, ordinando aliquid conſtituere. Ideoque hoc loco dictus eſt Deus creare mala, quoniam peccantibus ea conuertit in malum diſpoſitione ſeueritatis ſuæ, quæ largitatis eius bonitate, bona facta ſunt.* Ex quibus aperte conſtat, D. Auguſtinum ſuam iſtam ſententiam, *Creare eſt ex eo, quod iam eſt, ordinando aliquid conſtituere:* applicare ad primum creationis modum alieniſſimum & improprijſſimum, quo creari dicuntur Magiſtratus ex præexiſtentibus hominibus: & Vrbes ex præexiſtentibus lignis atque lapidibus incompoſitis & inordinatis ad certum ordinem & compoſitionis modum redactis: & dona Dei ad punitionem & cruciatum impiorum; nec vllo pacto talem ſententiam Auguſtini violenter trahi debere, poſſe ad æterni Filij Dei creationem: tum

quia

quia ex substantia Dei Patris fit generatio Filij, non autem creatio, vt abunde probatum est antea; sed creatio est ab immutabili producente: tum quia Pater Filium constituit nihil ordinando, quod inordinatum fuerit; quum Augustinus agat de creatione vrbium ex præexistentibus lapidibus inordinatis ad ordinem redactis; non autem de ordine, quo lapides & ligna præcedunt origine creandas vrbes, quem ordinem non efficit ipse creator vrbium, sed ipsa natura rerum; Augustinus autem per vocem illam, *ordinando*, statuens creare esse ex eo quod iam est, ordinando aliquid constituere, significat actum ordinandi factum ab ipso conditore, vt ordinatio sit modus actionem creationis temperans. Quare non erat, vt vocabulum, *ordinando*, significans Augustino functionem creantis vrbes, & mala, violenter attraheretur ad nomen ordinis in origine, non a conditore pendentis, sed circa eius actionem in rerum subordinatarum natura de se præexistentis, aut simpliciter existentis: tum demum quia D. Augustinus ait, agere se de illo ordine, qui compositioni rerum, quæ ordinantur, adiungitur: *& ligna, & lapides*, inquit, *quibus construuntur vrbes, vtique iam erant, sed nondum in illam rerum seriem, quam videmus in vrbibus, quodam ordine & compositione venerant; quod quum fit, creari vrbes dicuntur*. ex quo fundamento, mox huius alienissimæ ac improprijssimæ creationis definitionem colligit, inquiens: *Creare autem, ex eo quod iam erat, est ordinando aliquid constituere*. Sed in productione Filij Dei, vt nulla penitus est inordinatorum ordinatio, sic nulla penitus est compositio; nam in diuinis summa simplicitas habetur: Itaque Diui Augustini dictum de creatione Magistratuum, & Vrbium, vt non debet, ita pertrahi non potest ad Creationem Filij Dei. Ceterum illud omittendum non est, hoc

Y opi-

opinionis nouæ fundamentum e D. Thomæ dubitationibus esse desumptum, & a S. Doctore dirutum; ait enim verbis ipsissimis: i *Vtrum creatio sit ex nihilo aliquid facere, Ad primum sic proceditur. Videtur quod creare non sit ex nihilo aliquid facere: Dicit enim Augustinus contra aduersarium legis & prophetarum: Facere est quod omnino non erat, creare vero est ex eo quod iam erat educendo*, vel ordinando, *aliquid constituere*. Quod argumentum mox ita diluit D. Thomas, inquiens: *Ad primum ergo dicendum, quod Augustinus æquiuoce vtitur nomine creationis, secundum quod creari dicuntur ea, quæ in melius reformantur; vt quum dicitur aliquis creari in Episcopum*. Nihil ergo fauet Augustinus opinioni nouæ de creatione Verbi æterna, sed illi refragatur apertissime.

i 1.p.q.45.a.1.

Septimum opinionis nouæ fundamentum ex Cyrillo Alexandrino desumptum consideratur. Cap. XVIII.

QVod addit *a* nouæ lator opinionis: *Cyrillus in dialogo de Trinitate cum Hermia lib. 4. ca.* 11 *1.p.2. Idem 5. Thesaur. cap. 4. creationem ait non significare productionem ex nihilo, sed rei existentis, ac rei subsistentis productionem ad aliqua facienda:* fundamentum est non magis firmum, quam superiora: tum quia non agit ibi Cyrillus de creatione proprie ac vniuoce dicta, quam in præsentia tractamus; at de improprijssime sumpta, & æquiuoce: qua non inficias imus vtcunque dici posse, æternum Dei Filium creatum a Patre: tum quia falso ponitur Cyrillum asserere Creationem absolute non esse productionem ex nihilo: quare nunc falsa citatione producitur; nam & alibi *b* scribit expresse substantias Angelicas esse creaturas a Deo factas, ac ex nihilo productas, his plane verbis: *Oportet enim hunc sermonem ad illa, quæ modum humani*

a apol. 2. m. 5.

b lib. 1. in Gen.

ni generis superant, redigere, scilicet ad beatos Angelos; qui a Deo facti sunt, atque ex nihilo producti, Angeli, Archangeli, Throni, Potestates, Virtutes, atque Principatus, ipsa quoque suprema Seraphin. Erat etiam inter eos Draco ille praeuaricator, & quae cum eo erant prauissimae Potestates, & communes cum caeteris Sanctis rationabilibusque creaturis sedes obtinebant. & in allegato quoque libro de Trinitate clarissime scribit creationem esse productionem ex nihilo, dicens: *c Itaque sentis, quod propriae naturae libertatem vindicat: hoc autem super creaturam est; seruile enim factum est, quicquid productum ex nihilo.* & infra de Filio Dei profert primum significatum alienissimae creationis, inquiens *d*: *Et gloriabitur, vt videtur, Deus vt Pater, in vnica & sola Creatura Filio; qui in pluribus versabitur, & magis sapiet quam Pater, aequalis quidem substantiae cum illo, eo quod natus sit creaturas producere, & creare, aliquando ex nihilo.* Verum enimvero Cyrillus in loco producto tum haec obijcit Ario, qui male dicebat Filium esse Creaturam; non autem ipse Cyrillus ex mente sua ponit Filium esse creaturam, vt patet aperte: tum ipsemet Cyrillus ibi semetipsum satis explicat, si non mutilus, sed integer afferatur; ponit enim ibi duplicem modum creationis, nempe tum proprijssimum, ex nihilo; quem remouet a Filio Dei, concedit alijs creaturis; tum alienissimum, ex re subsistente ad aliquid faciendum; quem Filio Dei concedit, vt & alijs multis; quod nos item cum DD. *e* Augustino, & *f* Aquinate fecimus; ait enim aperte Cyrillus: *Igitur creatura in his verbis non significat eam, quae ex nihilo: absit:* (Non negat hic absolute creationem ex nihilo, sed illam omnino supponens, amouet a Verbo, simul & a sensu dogmatum oraculi Prouerbiorum, & Sapientiae, quibus abutebantur Ariani subdens:) *Sed eam, quae est existentis & subsistentis, in talibus quibusdam*

c lib. 4.

d ibid.

e 1. contr. adu. leg. & Proph. c 23

f 1. p. q. 45. 1. ad 1.

dam faciendis productionem; quemadmodum scilicet in intelligentibus extra se facere telam, vel ferrea quadam, voluntas excitantis ad opera, facit quidem operari id, quod vtrumque conatur: Intelligitur autem nullo modo illud ad esse, produxisse: Igitur si quidem quum nihil omnino illatum esset, Dominus condidit me, dixisset Filius; quantum ad coniecturam attinet, probabile admodum esset, quod illi Ariani *diuulgant. Postquam autem non simpliciter conditum esse, sed ad opera, & initium viarum; cur non, præterito indigniore, quod melius est eligitur, intelligentes quod scriptum est de Deo: & factus est mihi Dominus in refugium? nunquid concedes factum esse Deum, si a quopiam celebretur vt refugium? nullo modo.* Sic ergo Cyrillus explicat Creationem Filij Dei, non quoad esse simpliciter, vt putabant Ariani, simul & nunc existimat opinio noua; sed pro eo quod est, Filium a Patre conditum esse principium ad opera sua, Creatumque initium operum suorum, tanquam eum, per quem omnia facta sunt, vt ait *g* Euangelista; non autem pro eo, quod est, Filium a Patre creatum fuisse simpliciter ad esse; vel ex nihilo, quod volebat Arius; quo modo Cyrillus ait creatos Angelos fuisse, multasque creaturas alias: vel ex aliquo principio præexistente, sicuti ponit opinio noua. Quod item adducitur e Thesauro Cyrilli, ab ista opinione noua, falso transfertur ad æternam Filij Dei productionem; quum id apertissime Cyrillus applicet ad temporalem Christi Domini procreationem in vtero Virginis; vbi ratione corporis fit creatio ex materia non disposita physice, ratione animæ fit creatio ex nihilo; sicut *h* antea fuse probauimus: Verba Cyrilli sunt ipsissima: *i Quomodo intelligendum est, Dominus creauit me initium viarum suarum. Cap. IV.* (vbi constat, ex proposito Cyrillum sibi locum istum explicandum assumere, non incidenter ac obiter tractare) *Ad intelligendum*

g Ioan. 1.

h cap. 7. & 8.

i 5. l. Thes. c. 4.

dum autem propositum Prouerbiorum textum: primo illud dicendum est, quod omnia, quæ prouerbialiter dicuntur, alium verba sensum significare videntur, alium ex ipsis verbis veritas parturit: ideo Saluator Discipulis ait: k Hæc in prouerbijs k Ioan. 16.
locutus sum vobis; sed venit hora, quando non in prouerbijs loquar vobis, sed palam. (Vbi constat Cyrillum indicare, Creationis nomen in Prouerbijs non accipi secundum significationem propriam & vniuocam, sed abusiue secundum æquiuocam, & alienissimam) *Hinc patet, quod per prouerbia non palam ostendimus, quod volumus. Sapientia igitur prouerbialiter dicit: Dominus* l *creauit me: & rursum* l Sap. 8.
apertius: m *Sapientia ædificauit sibi ipsi domum. Si ergo Sa-* m Sap. 9.
pientia Filius Dei est, & sibi domum ædificat: quærendum est quis est, qui dixit: Dominus creauit me: Christus igitur iam homo factus est, id de se dixit; vt homo enim Sapientiæ domus ædificatus est: ille inquam homo, qui ex Virgine natus est, & in quo plenitudo deitatis corporaliter, secundum n *Paulum ha-* n Coloss. 2.
bitauit. Qui ergo Verbum caro factum o *est, de seipso dici-* o Ioan. 1.
tur, quia Dominus creauit eum, in quantum factus est caro. Istud enim, creauit me, non originem semper apud scripturas significat, sed plerumque a re aliqua in aliquam translationem. Et certe quum dicitur, Dominus creauit me initium viarum suarum, si quis diligenter consideret, non ipsum esse Sapientiæ significare potest (Hinc apparet apertissime Cyrillum, Prouerbiorum Creationem abducere ab æterna Filij Dei productione, contra placitum opinionis nouæ, proprieque transducere ad temporalem humanitatis assumptionem a Verbo, Creationemque non Verbi, sed carnis ab eo assumptæ; quod illico probat, addens) *Nam quæ modo fiunt, vel facienda sunt, creari modo dicentur; quando ergo nondum producta, creari dicuntur, necessario ex nihilo ad esse procedere intelliguntur.* (Quomodo clarius dicere poterat Cyrillus, creationem esse rei produ-

ctio-

ctionem ex nihilo? quomodo nouæ sator opinionis ex isto capite Cyrilli sumere potuit, Cyrillum asseuerare Creationem non significare simpliciter productionem rei ex nihilo, sed rei existentis atque subsistentis productionem ad aliqua facienda? nam clare Cyrillus vtrumque modum Creationis affert, & proprijssime dictum, qui est productio entis ex nihilo, quam creationem aduersus Arium ait non conuenire Filio Dei: neque proponi per Salomonem in Prouerbijs: & improprijssime dictum, qui est rei existentis iam, & subsistentis productio ad aliqua facienda; quam creationem tollit ab æterna Verbi Dei generatione, ac applicat ad temporalem humanitatis Christi productionem: quod immediate declarat, adijciens) *Quando autem quæ iam sunt, nec possunt dici a nihilo ad esse modo procedere, si creari ea dicuntur, non potest significari a nihilo ad esse ipsorum processio, sed ad*
p Psal. 101. *aliud ab alio translatio: sicut quando Dauid dicit:* p *Et popu-*
q Psal. 50. *lus, qui creabitur, laudabit Dominum. &*, q *Cor mundum*
r Ephes. 2. *crea in me Deus: &* r *Paulus de Christo, legem mandatorum*
15. *decretis euacuans, vt duos condat in semetipso in vno nouo homine, qui creatus in iustitia & sanctitate a Deo est. Nec tamen Psalmista populum a nihilo creandum, sed ab errore in cognitionem Dei transferendum significauit. Nec aliud quam habebat in seipso diuinitus creari petebat, sed ab immunditia ad munditiam cor suum transponi orabat. Nec Paulus duos homines ad naturalem vnitatem creari dicit a Christo, ita vt essendi principium tunc caperent; sed Gentes, & Israel, duos populos in nouam & vnam sententiam mutatos affirmat, a ser-*
s Ephes. 4. *uitute Legis istos, ab erroribus illos liberatos. Et alibi,* s *Omni-*
24. *bus mandat nouum induere hominem, qui secundum Deum creatus est: nec a nihilo ad esse productum, nouum hominem inducere nobis iubet; sed nouum virtute, voluntateque meliori. Sic ergo non semper creatio substantialem productionem*
a nihi-

a nihilo ad esse significat, sed plerumque a peioribus ad meliora translationem: quomodo non erit stultum, quando creatura creari dicuntur, recte id intelligere: & quando Sapientia Dei cerari se dicit? (quibus euidentissimum est, Cyrillum ponere duas Creationes; alteram, quæ sit productio substantialis e nihilo ad esse simpliciter; alteram, quæ sit accidentalis mutatio de conditione peiori ad meliorem: adeoque demoliri nouam opinionem, quæ ponit creationem æterni Verbi; nam si loquitur de mutatione accidentali de peioribus ad meliora, proprie Verbo non competit, in quo ne quidem excogitari potest proprie vel accidentalis mutatio, vel vlla peior conditio: sin agat de mutatione substantiali ad esse simpliciter, vt vere agit; hanc aperte Cyrillus ait esse productionem a nihilo ad esse; quam verbo diuino conuenire non posse certum est. Licet admittat Cyrillus Verbo Diuino humanato congruere prouerbialiter ac metaphorice creationem, quę est rei prçexistentis ac subsistentis ad aliqua faciēda; quod cum maxima cautione accipiendum monet, & non omittendam esse propositi diligentem considerationem, addens) *Vbi maxime cauendum est, non diligenter id considerare: Dominus enim creauit me, inquit, & statim addidit, Initium viarum suarum in opera eius. Creauit, inquit, non ad esse a nihilo produxit, sed initium viarum suarum in opera eius. Sic ergo, vt latius dicamus, intelligendus est: Legalis vita in Iudaa colebatur: Gentes autem nullo modo Iustitia vitam cognoscebant. Filius ergo Dei factus est homo, & creatus secundum carnem, vt initium viarum Domini, & operum suorum omnibus daret. In Christo enim primo Euangelica vita effulsit. Quid enim aliud opera & via Domini significant, prater mandata eius? qua custodientes, recto itinere ad ipsum pergimus. Quod autem opera Domino pracipuam iustitia vitam significent, illud audi: t Va qui faciunt opera* t Hiere. 48.

Domi-

Domini negligenter. Vias autem Domini mandata eius esse,
u Psl. 24. *Psalmista* u *ostendit dicens: Notas fac mihi Domine vias tuas, & semitas tuas doce me. Stultum igitur, & impium est, ipsum esse Verbi creari nunc dicere, quum semper Verbum cum Patre sit.* (Sic ergo Cyrillus a Verbo Diuino Creationem adimens, quam ait esse productionem ex nihilo in puris creaturis de non esse ad esse transeuntibus aliquando: concedensque creationem impropriissime dictam primi modi, quæ transitus est rei subsistentis ad nouum gradum dignitatis, quem acquisiuit Verbum in assumptione carnis humanæ, creatus autor & promulgator Euangelij tam Hebræo, quam Gentili populo; Cyrillus inquam hæc afferens aperte, tum Creationem propriissime dictam, quæ est productio entis ex nihilo, non negat, sed concedit creaturis: tum etiam Creationem impropriissime sumptam concedit, ex allato loco Prouerbiorum, Filio Dei, quantum ad humanitatem assumptam, qua factus homo mortalis doceret vias & opera Domini. Sed adiungit illico Cyrillus) *Recte igitur etiam illo modo intelligetur: Creauit me, inquit, initium viarum suarum Mosen & prophetas vias forsan appellauit, quarum initium Christus est, transponens dicta illorum ad Euangelicæ prædicationis pulcherrimam nouitatem, & id cum potestate absoluta. Lex enim, Non fornicabis,* x *ait: Christus autem:* y *Ego dico vobis, inquit, Non concupisces &c. Vias autem Sanctos viros appellauit, quia possunt monendo ad Deum ducere. Sic & illud* z *Hieremiæ recte intellexerim: State in vijs, & quærite semitas Domini sempiternas: & quum didiceritis quæ sit via eius, ambulate in ipsa, & inuenietis munditiam animarum vestrarum. Nam si quis sanctis prophetis mentem infigat, non cursim legens, sed sensum illorum diligenter inquirens, is qui certe viam inueniet optimam, illum videlicet, qui ait:* a *Ego sum via, per quam mundabitur, dimissione pec-*

x Exod. 20.14.
y Matth. 5. 27.28.
z 6.16.
a Ioa. 14 6.

peccatorum inuenta. Creauit igitur, inquit, me, hoc est, fecit super legem & prophetas initium, hoc est potestatem, vt non in verbis illorum sistere faciam, sed ad opera meliora traducam. Vel etiam aliter: Dominus, inquit, creauit me, vt si quis diceret, Carnem mihi Pater apposuit, & vt hominem pro salute hominum creauit me. Nam quemadmodum quum Ioannes dicit: b *Et Verbum caro factum est: & Paulus de Christo:* c *Et maledictio pro nobis factus est: & rursus:* d *Peccatum pro nobis ipsum fecit: nec peccatum nouisse, nec maledictionem aut peccatum fecisse Christum dicimus: sed recte pro carne, pro maledictione, & peccato hominem intelligimus: Sic quando de seipsa Dei sapientia dicit: Dominus creauit me, hominem me fecit, intelligendum est.* Itaque luculentissime Cyrillus in isto capite ponit duos vel tres modos Creationis; primum proprijssime dictum, conuenientem Creaturis factis ex nihilo; quem, aduersus Arianos, ait non conuenire Verbo, quod semper fuit: Alterum improprijssime dictum, conuenientem Christo, quia præexistens ab æterno Dei Filius, factus est in tempore tum promulgator & Doctor Euangelij, tum legis & prophetarum Dominus atque princeps: Tertium si placet, proprie dictum, competentem Filio Dei, qui factus est homo, per creationem carnis ex Virginali materia, de se physice non disposita satis ad humanum corpus constituendum; & per creationem animæ suæ rationalis ex nihilo. Quæ singula superius abunde nobis ostensa fuere. Quare non potuit ex isto capite Cyrilli nouæ sator opinionis vere colligere, Creationem ex nihilo non dari: neque proprie dictam creationem aut Filio Dei conuenire ad intra; aut esse productionem æternam rei subsistentis ad aliqua facienda; maxime quum ab initio capitis Cyrillus inquiat huiuscemodi Creationem, de qua Salomon, hic ab opinione noua citatam, esse pro-

b cap. 1. 14.
c Galat. 3. 13.
d 2. Corin. 5. 21.

uerbialem, & impropriam, non autem veram omnino creationem; de qua profitetur agere se nouæ sator opinionis. Ceterum in sequenti capite quinto, prætermisso ab autore noui dogmatis, fusissime Cyrillus ablegat a Filio Dei creationem proprie dictam, & creaturæ proprie dictæ nomen. Ex quo capite lubet id assumere, quo plane constat Cyrillum absolute contradicere Creationi per nouam opinionem attributæ Filio Dei: dum ait: e Filius igitur non est creatura; sed ab ipsa substantia Patris gignitur: Filius enim secundum naturam est; sed non propter formam serui, quam accepit homo propter nos factus, Dominum Patrem appellat. Vtrumque igitur vere, quia mentiri veritas non potest; quam distinctionem ostendit dicens: f Confiteor tibi Pater, Domine cæli & terræ: & ecce Patrem suum Dominum appellat: Dominum vero cæli, & omnium quæ in cælo sunt, & similiter terræ. Sed si ipse quoque, vt cælum & terra, a nihilo productus esset (nonne Cyrillus hic aperte ponit cælum ac terram a Deo ex nihilo creata?) non vt præcipuum sibi nomen, Filij appellationem seruasset, ita vt omnia creata iugo seruitutis subiecerit: Nihil enim creatum, quod cælum & terram nominauit, a seruitute excepit) dum scilicet Deum creatorem appellauit Dominum cæli & terræ) seipsum autem excepit (dum Deum appellauit Patrem) Non est igitur creatura, sed Filius. Itaque Cyrillus apertissime ponit creationem cæli & terræ de nihilo productionem fuisse. Quinimo superius g asseruerat idem Cyrillus: Illud enim solum omnibus creaturis commune est, quod a nihilo producta sunt: figura vero, & natura singulæ species inter se differunt. Quid igitur præcipuum in Filio erit, si creatura est, sed non vt vna creaturarum? Commune namque (vt diximus) omnibus creaturis est, factum esse ex nihilo: nec excellentiores creaturæ, vt cæli & virtutes cælorum, quia naturaliter ceteris præstant, minus quam

e Cyril. 5. Thes c.5.

f Matth. 11.

g 5. Thesau. c.1.

quam cetera creaturæ sunt. Præterea, si creatura (vt vos dicitis) Filius Dei est; & tamen haberet vt posset creare, quia non vt vna ceterarum creaturarum est; cur cetera quoque creaturæ, quarum quia diuersa variaque natura est, qualibet species non est vna creaturarum, creandi virtutem non habet? Atqui oporteret, quoniam vniuersis commune æqualiter est, a nihilo esse productas. & mox: *Non enim potest perfecta naturalisque creatoris similitudo esse in creaturis, nec in ijs, quæ ex nihilo producta sunt.* Quomodo potest opinio noua ex Cyrilli doctrina colligere, Filium Dei ab æterno esse creatum, & creationem non esse productionem ex nihilo; quum euidentissime, sæpissimeque Cyrillus asserat, & ostendat oppositum? Sic igitur euersum est septimum fundamentum nouæ opinionis, ex Cyrillo non bene positum.

Opinionis nouæ octauum fundamentum ex Ecclesiastico desumptum expenditur ad verum sensum orthodoxorum.
Cap. XIX.

QVod insuper opinio noua fundamentum sibi desumit e sacris literis *a* inquiens, *Creatio theologice est productio entis ex aliquo principio præsupposito, & interno ipsi producto: & genus creationis est productio; extenditurque creatio & ad intra in Deo, & ad extra in creaturis. Ad intra sapientia primogenita ante omnem creaturam in Ecclesiastic. 24. de se loquitur: Ab initio & ante secula creata sum. & cum 70. Interpretibus Prouerb. 8. Dominus creauit me principium viarum suarum:* Multa continet animaduertenda, quæ veritatem lædunt. In primis, *b* antea satis ostensum est, falso sumi Creationem theologice simpliciter esse productionem ex aliquo principio præsupposito, ac interno ipsi producto. Deinde falsum est, genus creationis esse

a l. 1. def. n. 28.

b cap. 10. & 11.

productionem, si de genere proximo sermo sit; namque remotum est, commune ad creationem omnem, ad generationem quamlibet, & ad effectionem, factionemque qualemcunque: si vero sermo sit de genere remoto, & communissimo, falso perperamque ponitur ab opinione noua in definitione creationis proprie dictæ, prout a generatione contradistinguitur, & ab effectione, factioneve. Deinde falsum est, Creationem theologice ex aliquo principio præsupposito, ac interno ipsi producto, extendi ad intra in Deo, si sermo sit de creatione proprie dicta; nam ad intra Creatio communiter æquiuoce, & abusiue dicta reperitur, consistens in sola producentis immutabilitate, non autem vllatenus in præsuppositione principij cuiuspiam interni producto: quæ
c cap 8. cuncta late *c* superius. Deinceps locus Ecclesiastici nihil omnino fauet opinioni nouæ, si consideretur integer, non mutilus afferatur, vt fit; etenim sic habet integer:
d Eccl. 24. 5. *d Ego ex ore Altissimi prodiui primogenita ante omnem creaturam*. & multo post: *e Ab initio & ante secula creata sum,*
e ibid. vers. 24. 25. & seqq. *& vsque ad futurum seculum non desinam, & in habitatione sancta coram ipso ministraui. Et sic in Sion firmata sum, & in ciuitate sanctificata similiter requieui: & in Ierusalem potestas mea, & radicaui in populo honorificato &c.* Quorum oraculorum vt illud posterius agit aperte de Verbo præuiso Incarnari; proindeque de Christo, qui quantum ad
f cap. 7. humanitatem proprie creatus est; vt olim *f* ostendimus: Ita primum illud agit quidem de Verbi productione ad intra, sed eam penitus excludit ab omni ratione creatio-
1. nis: In primis enim, vt eius verba singula diligenter intueamur, ac explicemus: *Ex ore:* Sane quæ creantur a Deo proprie, non *ex ore* loquente prodeunt, sed *ore* vo-
g Ps. 32. 6. & seqq. cante ad esse, iubenteque adsunt: ita sane Dauid: *g Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus*
co-

eorum. Congregauit sicut in vtre aquas maris: ponens in thesauris abyssos. Timeat Dominum omnis terra: ab eo autem commoueantur omnes inhabitantes orbem. Quoniam ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt. & alius Propheta: *l Stellæ autem dederunt lumen in custodijs suis: & lætatæ sunt. Vocatæ sunt, & dixerunt, Adsumus: & luxerunt ei cum iucunditate, qui fecit illas.* Et Apostolus de Deo, *m Qui vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt.* Dei vero Filius, non ore vocantis esse, vel iubentis Dei, sed ex ore loquentis exoritur ab æterno; quod apte nobis indicat Iob, cui, *n Semel loquitur Deus: & secundo id ipsum non repetit:* quia vnicum verbum producit in æternitate, Filium sibi vnigenitum: Ita sane Glossa: *Loqui enim Dei est Verbum generare; quia præter Vnigenitum, aliud non genuit Verbum.* Sic ergo verbum *ex ore*, tollit a Filio Dei creationem ad intra proprie dictam, illi concedens æternam generationem. *Altissimi.* Profecto vox ista signat in productione Filij primam personam diuinam Patris, qua contradistinguitur ab alijs duabus; quæ vt cum prima concurrunt in Creatione humanitatis Christi, sic in æterna Verbi productione solus Pater est producens: Quam doctrinam habemus apud *o* Lucam ab Angelo dicente Virgini: *Et Filius Altissimi vocabitur.* & mox: *Spiritus-Sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque & quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* quem locum ita D. Bonauentura *p* dilucidat: *Per nomen Altissimi intelligitur Pater per appropriationem: Patri enim appropriatur potentia: & in persona Patris principaliter est autoritas. Per virtutem autem intelligimus Filium, quia Christum dicimus Dei q virtutem, & Dei sapientiam. Quoniam ergo sermo præcesserat de Spiritu-Sancto, subiungitur etiam de Patre, & Filio, vt sicut illi tres mundum fabricauerant, sic etiam intelligantur mundum* repa-

l Baruch. 3. 34. 35.
m Rom. 4. 17.
n 33. 14.
11.
o cap. 1. 32. 34. 35.
p 3. sen. di. 3. du. 2.
q 1. Cor. 1. 24.

reparasse opere indiuisibili, & per fabricam vteri Virginalis. Ratio autem, quare magis Patrem vocauit Altissimum, quam Patrem appellarit, est vt ostendatur in opera Incarnationis mira fuisse dignatio in hoc, quod nostram humilitatem suæ Celsitudini copulare voluit. Virtus vero Altissimi Virginem potius dicitur obumbrare, quam illuminare; adumbratio enim visum adiuuat, & calorem refrigerat; & in aduentu Filij Dei Virgo Maria refrigerata fuit fomitis extinctione: fuit etiam ad Dei contuitum adiuta per carnis coniunctionem cum Verbo, vt quæ non poterat Deum sentire in se ipso *propter suæ lucis immensitatem, sentiret, & cogitaret intra se* ipsam *per assumptam carnis humanitatem.* Sicut igitur creatio Christi quantum ad humanitatem fuit opus non solius Patris, sed totius Trinitatis: ita pariter creatio mundi, & rerum omnium visibilium, ac inuisibilium fuit opus non solius Altissimi Patris, at omnium Personarum indiuiduæque Trinitatis: Verum hic ab Ecclesiastico productio Filij Dei æterna, refertur ad solum Altissimum Patrem, non item ad alias personas; quare nec est vere proprie dicta creatio, nec ex isto loco colligi potest Verbum æternum
III. esse creatum. Deinde verbum, *Prodiui*, proprie significat exortum de substantia producentis interna; sed creaturæ proprie non prodeunt ex interna producentis natura, verum ad imperium illius voluntatis vocantis eas ad esse, statim illi adsunt, vt visum est: igitur ex hoc loco deduci non potest Verbum esse creatum proprie, sed
IV. solum vere genitum. Quod apertissime probat vox immediate sequens *Primogenita*; penitus excludens proprie dictam creationem, de qua differimus, quæ contradistincta formaliter est a generatione proprie sumpta: Quæ quidem productio Filij Dei proprie dicitur *prima*; & sapientia Dei *primogenita* recte vocatur, ad discrimen productionis internæ Spiritus-Sancti, & externæ creatura-

turarum omnium; quia tres a Deo productiones habentur ad inuicem subordinatæ, quarum singularum autor, & molitor est Deus; prima omnium est generatio Filij a solo Patre, suam illi naturam per actum simplicis generationis communicante; quæ quidem generatio est operatio naturæ, seu mentis Paternæ naturaliter intelligentis; non autem voluntatis Paternæ, ex arbitrio eligentis, iubentisve. Secunda est productio Spiritus-Sancti a Patre simul & Filio in vnum principium spiratiuum conspirantibus; quæ spiratio est operatio voluntatis formaliter, non tamen iubentis, sed amantis. Tertia productio est, creaturarum omnium creatio a Deo Trino & Vno; quæ operatio est diuinæ voluntatis omnipotentis, imperantis creaturas esse, quod ostendit Psalmista concinens: * *Deus autem noster in cælo: omnia quæcunque voluit, fecit*. & alibi: *Ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt*. Quapropter ex eo, quod Filius Dei primogenitus dicitur, colligi non potest, neque debet, Filium esse creatum, neque vere creaturam: sed vere genitum. Immo vero D. Paulus hic vocem, *primogenitura*, sumit non pro Filij productione, ac origine; sed pro dignitate, primatu, principatus, atque dominij, supra omnes creaturas; ait enim Apostolus hunc locum Ecclesiastici declarans; *r Cum gaudio gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine: Qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum Filij dilectionis suæ: In quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum: Qui est imago Dei inuisibilis, primogenitus omnis creaturæ, Quia in ipso condita sunt vniuersa, & in cælis, & in terra, visibilia, & inuisibilia; siue throni, siue dominationes, siue principatus, siue potestates: Omnia per ipsum, & in ipso creata sunt: Et ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant: Et ipse est caput corporis*

*Ps 113.3. Ps.32.

v.

r Coloss 1. 12.& seqq.

ris Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis: vt sit in omnibus ipse primatum tenens. Itaque D. Paulus explicat Filium dici primogenitum omnis creaturæ, quia est primatum tenens, atque principium omnium creaturarum: quod attributum conuenit etiam Deo Patri, & Spiritui-Sancto; quia tota Trinitas, Deus Trinus & Vnus omnes creaturas condidit vt Dominus, iubens eas esse, siue de non entibus vocans ad esse, creauit ipsas ex arbitrio suæ voluntatis omnipotentis. Qua ergo ratione Pater Deus dicitur esse primatum tenens omnium creaturarum, absque eo quod inde colligi valeat, Patrem esse creatum; ita dicens Ecclesiasticus Filium esse Principium primatum tenens omnis creaturæ, nobis ansam non dedit asserendi Filium esse creatum, neque creaturam vllo modo. Et qua ratione Paulus inquiens Filium esse primogenitum ex mortuis, non ideo vult Filium ab æterno mortuum esse ad intra, & inter mortuos numerari; sic nec eum dicens primogenitum omnis creaturæ, censuit inde posse deduci Filium ad intra creatum, aut
VI. creaturam esse, secus ac opinio noua putauit. Verum enimvero sumendo cum Interlineari, & Lyrano verbum Ecclesiastici, *primogenita*, pro nota significante Filij productionem, ex eo quod Filius est *primogenitus ante omnem creaturam*, non ideo per creationem genitus est a Patre, neque recensendus inter creaturas; etenim locum Apostoli nuper allatum explicans Interlinearis aptissime dicit de Filio: *Ipse solus genitus, alia omnia creata. Hic vero ostenditur coæternus: ante omnem creaturam genitus. Vere genitus ante omnem creaturam, quia per ipsum omnia condita.* Itidem illi consentiens Lyranus ait: *Primogenitus omnium creaturarum, idest genitus ante omnem creaturam; quia generatio Filij a Patre est æterna; productio autem creaturæ est temporalis; quæ potest dici large Generatio, eo modo Deus dicitur*

citur Pater omnium per creationem. Licet Deus dicatur etiam Pater per generationem physicam rerum omnium, ad quam promendam, promouendamque cum causis particularibus, & secundis concurrit, Aristotelis *f* obseruatu, tanquam causa prima & vniuersalis physice mouens immobilis. Hinc Homerus, & ex eo * Aristoteles, Deum appellat Patrem hominum & Deorum his verbis: *Idem autem his vult & illud Homeri: Talis enim mens est terrestrium hominum, Qualem indies inducit pater hominumque, deorumque*. Igitur per illud oraculum Ecclesiastici de sapientia primogenita ante omnem creaturam, opinio noua de creatione Filij Dei ad intra nihil habet, quo fulciatur; sed nos habemus, quo illam demoliri valemus. Insuper illa verba, *ante omnem creaturam*, apertissime demonstrant, Filium Dei creatum non esse prorsus vlla ratione, productionemque Verbi ad intra non posse dici proprie creationem; etenim ante omnem creaturam nulla potest esse creatio, nullaque creatura penitus; quippe creatio momento fit; & est productio creaturæ non præcedens creatæ rei primum esse; nam instās creationis instanti primi esse creaturæ prorsus identificatur; non enim dantur duo instantia *t* coherentia sibi adinuicem immediate; quoniam inter duo instantia numero distincta necessario mediat aliquod tempus; quod nullum esse potest inter vnum instans creationis & alterum instās primi esse creatæ rei, sed vno & eodem instanti creatura creatur & habet esse primum sui; simulque creatur & est primo; quamobrem ante creaturam omnem nulla potest esse creatio, nullumque creatum. Itaque Filius Dei, qui primogenitus est ante omnem creaturam, neque productus est per vllam creationem proprie, neque dicitur proprie creatus, neque vere creatura. Præterea vero dictum *de omni* secundum Aristote-

f 2. phys. t.73. 12. meta. t.24. 1. de gen. t.59. * 2. de an. t.150.

VII.

t 6. phys. t.1.2. 1. de gen. t.9.

VIII.

u 1. poster. 129. lis *u* doctrinam, singula comprehendit, ac nullum eiusdem ordinis excludit; inquit enim: *De omni quidem igitur hoc dico, quod sit vtique, non in aliquo quidem, in aliquo autem non: neque aliquando quidem, aliquando autem non:* dum igitur Ecclesiasticus contradistinguit Filium Dei ab omnibus creaturis, dicens ipsum *primogenitum ante omnem creaturam* absolute, iam ipsum ab ordine rerum creatarum eximit, & eius productionem, quam primam generationem appellat, negat esse proprie dictam creationem.

IX. Addendum his etiam est, diuersas ab inuicem esse propositiones istas, *Ego ex ore Altissimi prodiui primogenita ante omnem creaturam:* quod oraculum legitur in Ecclesiastico, & excludit a generatione Filij Dei omnem rationem proprie dictæ creationis, & creaturæ, vt ostensum est: & ego ex ore Altissimi prodiui ante omnem aliam creaturam: quę propositio videtur vt attribuere Filio Dei rationem proprie sumptæ creationis, & creaturæ; ita supponi ab opinione noua colligente sensum istum, qui nititur illa voce *aliam*; quæ non habetur in sacro textu. Ceterum vox, *aliam*, vt alterat nimium sententiam sacræ literæ, sic admitti non debet; neque subintelligi, vbi non legitur expresse; maxime quando fauere videtur Arianorum intellectui non orthodoxo.

X. Posterius etiam, qua ratione legens in *x* Prouerbijs Di-
x cap. 8. 25. uinam Sapientiam de semetipsa dicentem, *ante omnes colles ego parturiebar:* nemo recte collegerit inde, Filium Dei esse proprie Collem; pariter ex eo, quod in Ecclesiastico Sapientia diuina de se dicit: *Ego ex ore Altissimi prodiui primogenita ante omnem creaturam:* nemo recte deducere potest, Filium Dei proprie creatum, neque

XI. creaturam esse. Quinimmo luculenter habetur ex eo Prouerbiorum oraculo integro, Filium Dei esse conceptum, & partu edi; proindeque productionem eius non

esse

esse proprie creationem, quæ tota simul est vnica functio, nullatenus in conceptionem & partum distributa, sicut e contra est omnis Filij generatio proprie dicta; sic enim ibi Diuina Sapientia de semetipsa dicit: *Nondum y erant abyssi, & ego iam concepta eram: nec dum fontes aquarum eruperant: Nec dum montes graui mole constiterant: ante omnes colles ego parturiebar*. Modo conceptus, atque partus, formaliter competunt proli, generationem illius integrantes, non autem creaturæ, creationive; quæ vnica functio est, penitus impartibilis, re rationeque prorsus indiuisibilis ad creaturam proprie relata; quum actio generationis ad genitum comparata duas habeat formaliter inter se distinctas functiones subordinatas, conceptionem videlicet, ac partum. Quare Filius Dei, qui dicitur sapientia concepta, & a Patre, qui eam ex vtero z genuit, parturiente edita, non potest proprie dici creatus, neque creatura; sed genita proles ante omnem creaturam. Apte vero Salomon ait in persona Verbi Diuini, *parturiebar*, quia in æternitatis momento stabili Filius a Patre semper producitur; de quo Psaltes ait: *a Dominus dixit ad me, Filius meus es tu: ego hodie genui te*; parturio namque proprie significat actum pariendi præsentem. Sed sapientissime Salomon idem nobis explicauit generationem æternam Filij Dei, seu Verbi Diuini per conceptionem & parturitionem, cum analogia quadam ad productionem verbi mentis humanæ; ad cuius collationem D. Thomas in opusculo de differentia Diuini Verbi, & humani scribit, Verbum, de quo c Ioannes loquitur, *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*, hoc, inquit, Verbum non est factum, sed omnia per ipsum facta sunt; & quum ista cunctorum effectio nihil aliud sit, quam omnium creaturarum productio, creatioque simpliciter; profecto Verbum,

y Prou. 8. 24. 25.

z Psal. 109. 3.

a Psal. 2. 7.

b opusc. 13

c Ioan. 1. XII.

bum, quod factum non eſt, ad aliorum omnium differentiam, ad eorundem diſcrimen creatum non eſt, neque per creationem productum. Addit in fine D. Thomas: *Ex præmiſſis patet etiam, quod quum in qualibet natura id quod procedit habens ſimilitudinem & naturam eius a quo procedit, vocetur Filius; & hoc ſit in Verbo; quod in Deo dicatur Filius, & productio eius dicitur generatio.* Quum igitur generatio formaliter contradiſtinguatur a proprie dicta creatione; iam certo certius eſt, Verbum Dei, quod proprie Filius Dei eſt, non eſſe creatum proprie, neque per proprie dictam creationem ad intra productum.

Nonum opinionis nouæ fundamentum ex Prouerbijs allatum latius expenditur. *Cap. XX.*

NEque ſolidius eſt iam dirutis, quod e Prouerbiorum loco deſumitur, nonum opinionis nouæ pariter ac veteris Arianæ fundamentum; etenim argumentum non efficax, ſed (vt *a* antea quoque notauimus abunde; ſæpius enim refellenda, quæ valde nocere poſſunt) elenchum paralogizantes plane ſibi formant Arius, & opinio noua; dum ita ſyllogizant: *b* *Dominus creauit me initium viarum ſuarum:* ergo *Dominus creauit me.* Quæ ſane ſententia promitur in Prouerbijs a Salomone de Filio Dei. Sed omittens vertiſſe LXX ſecus: *Dominus condidit me initium viarum ſuarum in opera ſua:* vt habet editio Veneta Pinelli ſub anno M DC IX. per Fr. Fortunatum Fanenſem: Et Vulgata legat: *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum:* & Pagninus ex Hebræo transferat: *Dominus poſſedit me principium viæ ſuæ:* Quia tamen illud *Condidit* apud pleroſque Sanctos Patres aſſumitur pro ſynonymo *Creauit:* & præcipue apud S. Cyrillum, qui (ſecus

a cap. 3.

b Prou. 8. 22.

(secus ac ponit *c* opinio noua) non secutus versionem Septuaginta, secus habentium, sed ex mente propria, secundum interpretationem Trapezuntij non solum, sed etiam Vulcanij, legit *d creauit*, sua lingua ponens vocem ἔκτισε, in ista sententia, κύριος ἔκτισέ με ἀρχὴν ὁδῶν αὐτοῦ εἰς ἔργα αὐτοῦ: quæ vertitur ab omnibus vnanimiter: *Dominus creauit me principium viarum suarum in opera sua:* nulla prorsus habita relatione ad versionem Septuaginta; quam aliter se habere vidimus: demus disputationi versionem LXX. habere, *Creauit*. Ex hoc loco deducens Arius, & opinio noua Filium Dei proprie creatum a Patre quantum ad esse, paralogismum aperte struit a coniugatis ad diuisa, siue a secundum quid ad simpliciter, ac a creatione improprie dicta ad creationem proprie dictam, vtens æquiuoco medio, proindeque quatuor terminis, contra Logicæ canones. Quemadmodum enim dialecticæ regulas ille dissimulat, qui sophisma proponit huiusmodi, *Publius Ouidius est bonus poeta: ergo Publius Ouidius est bonus:* vel *Augustinus ante sui conuersionem fuit bonus dialecticus: igitur Augustinus ante sui conuersionem fuit bonus:* quique talem enunciaret elenchum in sacra pagina: *Verbum factum est caro, ergo Verbum factum est;* nam ex antecedente vere Catholico, quod in *e* Euangelio legitur, colligeret consequens falsum & hæreticum; quum S. M. Ecclesia recipiat in Symbolo Nicæno, & Athanasij, Verbum Dei Filium esse *genitum, non factum.* Ita dubio procul Arius ille priscus, & opinio noua dissimulat, pessundatque Logicæ regulas, dum arguunt itidem: *Filius est creatus initium viarum Dei: ergo Filius est creatus*. nam vere Dominus Deus Pater Filium suum creauit initium viarum suarum; quod ait Salomon in Prouerbijs; at non ideo colligere licet, ergo Dominus Deus Pater Filium suum creauit. Quam veritatem vt inti-

c lib.1.

d l.5. Thes. cap.5.

e Ioa.1.14.

intimius aperiamus & euidentius: considerandus est integer contextus ille Prouerbiorum, artificiose forsan ab opinione noua, sicut & ab Ario prisco, non nisi secundum partem mutilus allatus: etenim non agitur in illo de sola productione Verbi æterna, quantum ad esse, sicut in alijs dogmatibus huic adnexis; verum in allato, speciatim de Filij Dei ab æterno geniti constitutione creationeque minus proprie sumpta primæ significationis, in conditorem rerum omnium simul cum Patre Domino in principio temporum: sic enim habet sacra pagina: *f Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quicquam faceret a principio. Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis antequam terra fieret. Nondum erant abyssi, & ego iam concepta eram: nec dum fontes aquarum eruperant. Nec dum montes graui mole constiterant: ante omnes colles ego parturiebar. Adhuc terram non fecerat, & flumina, & cardines orbis terræ. Quando præparabat cælos, aderam: quando certa lege, & gyro vallabat abyssos. Quando æthera firmabat sursum, & librabat fontes aquarum. Quando circundabat mari terminum suum, & legem ponebat aquis, ne transirent fines suos: Quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens: & delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore. Ludens in orbe terrarum: & deliciæ meæ esse cum Filijs hominum.* Quibus apertum est Filium Dei nunc explicare non modo sui productionem æternam ad intra, qua Pater eum in æternitatis momento generat, quantum ad esse; vt male censuit Arius, & post eum opinio noua; sed etiam, & maxime in allato primo dogmate, de constitutione Verbi iam geniti, in conditorem rerum omnium simul cum Patre, a quo via originis post æternam sui generationem in esse, deinde constitutus is, *per quem g omnia facta sunt*, in principio temporis hominum creaturarum simul cum Patre con-

f Prou. 8. 22 & seqq.

g Ioan. 1. 3.

conditor, atque creator. *Dominus*, inquit, *possedit me*, vel cum LXX. *condidit me:* recte *Dominus*, quia creatio est operatio Dominij, ac potestatis creatoris, supra creaturam: etsi namque Filius a Patre producatur non tanquam a Domino, quia generatio Filij non est operatio Dominij, sed naturæ: non functio voluntatis imperantis, at actio naturalis intellectus Verbum sibi simile producentis: dum tamen Verbo, iam genito ab æterno, tribuit potestatem *c* omnem, speciatimque propterea condendi creaturas omnes, ipsum secum constituens creatorem simul & conditorem omnium, communicans eidem virtutem Dominij, hoc agit vt Dominus, condominum sibi condens, constituens, atque creans; quæ tamen creatio non proprie dicitur, sed alienissime, secundum primum modum, superius *d* explicatum. Quod vel inuito mihi dare cogitur hic opinio noua, dum locum istum adducens, infit: *e & cum 70. Interpretibus, Prouerb.* 8. *Dominus creauit me principium viarum suarum;* etenim omissa non ita fideli citatione; quum LXX. interpretentur, *Dominus condidit me*, non autem *creauit me:* longe aliud mihi & omnibus orthodoxis, vt antea visum est, censetur creare aliquid absolute secundum esse sui, & creare aliquid principium viarum Dei. Sapientia Diuina, siue Filius Dei dicitur hic non absolute creatus; de qua creatione ad intra quantum ad esse simpliciter, nostra quæstio est: sed creatus initium viarum Dei; quæ creatio est alienissima, qua Filius iam productus ab æterno, postea via originis constituitur a Patre conditor vna secum in principio temporis, & omnium seculorum, creator cunctarum creaturarum. Quod illico fusius explicat Salomon addens: *antequam quidquam faceret a principio:* nam creator antecedit origine functionem creationis; vnde Filius a Patre conditus est creator omnium

c Matth. 28. 18.

d cap. 4.

e lib. 1. def. n. 38.

nium rerum antequam quidquam faceret ab initio temporis, quo cuncta creare cœpit in principio dierum, & seculorum omnium. *Ab æterno ordinata sum: & ex antiquis, antequam terra fieret:* quem locum ex Hæbreo codice vertunt LXX. *Ante seculum fundauit me, in principio, antequam terram faceret:* ac post eos Pagninus: *A seculo principatum habui, a principio ante terram.* Quare sensus oraculi verus est iste, quo dicit Filius Dei se habuisse principatum, Dominium, ac potestatem creandi res omnes a Patre, a quo propterea fundatus est ac ordinatus creator, *ab æterno, & ex antiquis, antequam terra fieret.* Nimirum in æternitatis momento; licet enim æternitas indiuisibile sit instans ratione sui; tamen in ea possunt multa produci subordinata inter se; quorum vnum sit alio prius origine: sic in vno & eodem æternitatis momento penitus indiuisibili, in quo non habetur prius, neque posterius; a Patre primum via originis producitur Filius per actum æternæ generationis: deinde a Patre simul & a Filio iam genito producitur Spiritus-Sanctus per actum æternæ spirationis, ante omnem creaturam. Non alia ratione pariter in æternitatis eodem impartibili momento, via originis prius producitur Filius, deinde productum iam Filium Pater idem ordinat, constituit, & creat conditorem omnium creaturarum, antequam vllam creaturam producat. Dicit autem Filius a Domino se ordinatum *ex antiquis:* tum, quia proprietas
f cap. 7. 9. est attributi diuini antiquitas; scribente Daniele: *f Aspiciebam donec throni positi sunt: & antiquus dierum sedit:* etenim throni tres positi sunt tribus personis: & antiquus dierum vnus Deus sedit: ita Filius vnus est ex antiquis, nimirum vna ex tribus diuinis personis: tum quia ex æternitate, quæ antiquissima est, & principium omnis durationis: & ante omnia secula; vnde dicitur, &
prin-

principium, & *a sæculo*, fortasse quia huiusmodi potestatem creandi res omnes, quam ab æterno Pater Filio dedit, exercuit Filius in principio temporis, & a seculo, simul cum Patre creaturas creans: eam tamen ante creationem a Patre recepit: quod indicat Salomon inquiens, *antequam terra fieret*: quam in principio temporis a Deo factam ait *g* Moses. Hanc autem constitutionem, creationemve si placet, Filij Dei in creatorem omnium creaturarum, etsi peractam in æternitatis momento pariter, ante mundi creationem, distingui ab æterna Verbi productione ad intra, statim aperit Salomon addens, *Nondum erant abyssi*, scilicet ante creationem aquarum, quæ simul cum terra conditæ fuerunt in *h* principio temporis vniuersi: *& ego iam concepta eram, nec dum fontes aquarum eruperant. Nec dum montes graui mole constiterant: ante omnes colles ego parturiebar. Adhuc terram non fecerat, & flumina, & cardines orbis terræ*. Scilicet ab æterno, priusquam Deus aggrederetur creationem vniuersi mundi, partiumque suarum, Filius Dei per æternam generationem ad intra productus est; cuius generationis formaliter duæ subordinatæ functiones habentur, conceptio, & partus, ad quem terminatur Verbi conceptio, Filijque vera generatio: Vt in eodem æternitatis momento Pater erga Filium tres ediderit functiones formaliter distinctas, & ad inuicem subordinatas; nam via originis Pater in æternitatis instanti Filium primo concepit semetipsum comprehendens: deinde comprehensionem sui terminans ipsum velut ex vtero *i* genuit, ac peperit *k* vnigenitum, atque *l* primogenitum: deinceps iam productum constituit, condidit, creauitque si placet, Creatorem vna secum rerum omnium, creaturarumque cunctarum: Quod statim admonet Salomon inducens Filium Dei, dicentem se cum Patre cooperatum fuisse in crea-

g Gen. 1.
h ibid.
i Ps. 109. 3.
k Ioa. 1. 18. Prou. 4. 3. Ierem. 6. 26.
l Ps. 88. 28.

tione cunctarum rerum ab initio mundi, *Quando præparabat cælos, aderam: quando certa lege, & gyro vallabat abyssos: Quando æthera firmabat sursum, & librabat fontes aquarum: Quando circundabat mari terminum suum, & legem ponebat aquis, ne transirent fines suos: quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens*: Quia creatio rerum ad extra est communis tribus personis diuinis, ac indiuisa, conueniens vni Deo vt trino. *Et delectabar per singulos dies ludens coram eo omni tempore:* Quia per opus creationis, primis sex diebus patratæ, Deus communicauit esse participatum omnibus creaturis; quę functio fuit cum delectatione Dei; nam actio fuit voluntatis Diuinæ; ac bonitatis, quæ voluit ita se ad extra quomodocumque communicare; bonum enim est suapte natura communicatiuum; amatque se se diffundere: idque facit cum delectatione, ac sine labore, proindeque cum lusu mystico: *Ludens in orbe terrarum: & deliciæ meæ esse cum Filijs hominum*. Hinc vt Plato non semel hominem appellauit, iocum Deorum, ludumque, siue ludicrum Dei opus; inquiens: *m Sic autem de his cogitemus, vt miraculum quoddam diuinum in animantium genere vnumquemque nostrum existimemus, siue ioco, siue serio (non enim id nouimus) a superis constitutum:* & adhuc infra: *n Ac Deum quidem omni beato studio dignum: Hominem vero, sicut etiam supra diximus, Dei ludo esse similem: atque id vere ipsius optimum esse*. Quod & Ficinus ait: *o Addit & Deos interdum iocari, & ludere: iocamur quidem nos circa diuina, iocantur & dij circa nostra: quatenus videlicet nostra hæc & illis collata quam minima sunt, & illi hæc nullo labore, sed inæstimabili facilitate gubernant. Mitto in præsentia Platonicum illud, Homo iocus est, ludusque Deorum*: Ita Verbum Diuinum, Deique Filius, pro delicijs habuit humanam naturam induere, & homo factus cum

m 1. de legib.

n 7 de legib.

o in arg. Cratyli.

homi-

hominibus habitare, nunquam non se se vocans in Euangelio *Filium hominis*, ac magis quam Filium Dei; quum vtrunque foret. Itaque sensus oraculi Prouerbiorum integri est, quo Sapientia, quæ Filius Dei est, ait se in æternitatis momento conditam a Domino Deo principium viarum suarum, nempe creatam creatricem omnium creaturarum, ante quam Deus eas efficeret: sed via originis antea conceptam fuisse in Mente Patris, & partu editam primogenitam, prius quam a Patre reciperet dignitatem Creatoris: vt ab æterno ante secula cuncta temporum Dei Filius conceptus, & genitus de substantia Patris tanquam ex vtero partus, in secundo veluti signo, iam genitus antea, conditus atque constitutus fuerit a Patre creator omnium; quam creationem rerum cunctarum vna cum Patre simul molitus fuerit ab initio mundi singulis sex diebus hebdomadæ primæ, sine labore, sed cum delectatione mira, veluti ludens, in communicando esse participato singulis creaturis ab se productis per veram, & vniuocam proprijssimeque dictam creationem. Quum ipse per alienissimam primi modi creationem in momento æternitatis a Patre conditus fuerit omnium creator: vt antea dictum est & a Cyrillo, & a D. Augustino, B. Thoma, ceterisque Patribus; quos antea luculenter adduximus. Quam vtramque Patris æterni molitionem erga Filium prophetice proposuit in *p* Psalmo Dauid accinens: *Dixit Dominus* Deus Pater *Domino meo* Filio suo: *sede a dextris meis*, absque labore motuque considens, vna mecum omnipotens creaturas omnes e nihilo ad esse producens; quarum creatio dexteræ Dei excelsi omnipotentis opus est. Filius autem a dextris æterni Patris eo sensu sedit, quo *per ipsum omnia facta* q *sunt*. Pater autem Filio dixit vt sedeat a dextris suis, quoniam ab æterno constituit ipsum

p Ps. 109. 1.

q Ioan. 1. 3

vna secum creatorem vniuersorũ a Deo dependentium.

r Psal.109.2. *r Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*. nempe donec e cælo detrudam rebelles Angelos in barathrum terræ, quæ *s* scabellum pedum Dei dicitur, qui rebelles Angeli fuerunt inimici Filij Dei, quoniam ideo peccauerunt,& a cælo deiecti fuerūt in terras,eo quod noluerunt esse subiecti Filio Dei, humanam carnem assumpturo, sibi præmonstrato *t* statim ab eorum creatione; quod illico Dauid insinuat addens: *u Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion: dominare in medio inimicorum tuorum*. etenim Filius Dei carnem assumpturus erat ex Virgine Matre, quæ dicitur Virga de radice Iesse, Prophetæ testimonio: *x Egredietur Virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum spiritus Domini*. Quem locum omnes vnanimiter interpretantur de Christo Domino, qui tanquam flos omnium virtutum nascetur de Virgine Maria. Quem præuisum adorare quum noluerint Angeli rebelles, ipsum Pater constituit Dominum super illos inimicos eius: vt in nomine Iesu genu flectantur etiam Angeli rebelles: quod apertissime testatur Apostolus allatum sensum a nobis confirmans; dum ait: *y Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo Iesu; qui quum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo* (vt olim *z* Angelus ille superbiæ) *sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem: mortem autem Crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen: vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris*. Adijcit autem Psalmista Filium a Patre Deo genitum ab æterno, constitutumque creatorem

s Act.7.49

t D.Tho.1.p.qu.57.5. ad 5.& qu. 58.6.0.

u Psal.109.3

x Isai.11.1.

y Philip.2. 5. & seqq.

z Isai.54. 14.

torem omnium, dicens: *a Tecum principium in die virtutis tuæ, in splendoribus sanctorum: ex vtero ante Luciferum genuite.* Profecto Pater vna cum Filio fuit principium in die virtutis eius: tum in die *b* permanentis æternitatis: tum in die primæ septimanæ temporum; nam in æternitatis die Pater simul cum Filio fuit principium productiuum Spiritus-Sancti; conspirans vterque in vnam virtutem spiratiuam: In die vero temporis primæui Pater simul cum Filio, per *c* quem omnia facta sunt, fuit principium habens virtutem creandi creaturas omnes. Verum ante creaturas omnes, quarum prima Lucifer extitit, Pater ex vtero, nimirum ex intima sui *d* substantia, genuit Filium in splendoribus Sanctorum, videlicet in personis Diuinis altissimæ Trinitatis; quibus & splendorum, & Sanctorum nomen appropriatum est ab orthodoxis Patribus omnibus; splendorum quidem, quia Filius procedit a Patre lumen *e* de lumine; diciturque splendor *f* Paternæ gloriæ, quæ lumen est supernaturale. Spiritus-Sanctus etiam in *g* ignitarum linguarum specie super Apostolos congregatos insidens, non minus quam Filius est *h* lux mundi, & lux vera illuminans *i* omnem hominem venientem in hunc mundum. Et *k* Areopagita diuinis personis nullum aliud accommodatius nomen nostratium esse scribit, quam lucis, luminis, atque splendoris. Quod etiam de attributo sanctitatis apparet ex trisagio, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, quod vni Deo Trino cantari Ioannes *l* audiuit in cælo; *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Omnipotens, qui erat, qui est, & qui venturus est.* In his itaque splendoribus Sanctorum Deus Pater Filium suum genuit ab æterno ante Luciferum & alias creaturas omnes, quas vna secum Filius creauit ab initio mundi; constituitque Filium ab se genitum vna secum omnium creaturarum principium effectiuum, pro-

du-

a Psl.109.3.
b Psl.2.7.
c Ioan.1.3. Symb. Nicæn.
d D.Aug.in Psal.109.
e Symb.Nicæn.
f Gregor. mag.in Ps. pœn.5.
g Act.2.3.
h Ioa.8.12.
i Ioan.1.9.
k de cæl. hier. & de diuin. nomi.passim.
l Apoc.4.8.

ductiuumque. Certe Luciferum fuisse primam omnium creaturarum, aperte constat ex oraculo Iobi de Diabolo sub nomine Beemoth ita dicentis: *m Ecce Beemoth, quem feci tecum. Ipse est principium viarum Dei, qui fecit eum.* Sed ante Luciferum, qui est prima creaturarum Dei, Pater genuit Filium suum, genitumque creauit creaturarum omnium conditorem vna secum: Quare Filius dicitur creatus principium viarum Dei, principium nempe productiuum creaturarum Dei: sed Beemoth dicitur, non factus a Deo principium viarum Dei, sed esse principium viarum Dei; quia fuit mera creatura, non creator vllo modo; fuit enim principium passiuum (vt ita dicam) viarum Dei, creatus ante ceteras creaturas pura creatura: sed Filius genitus ante Luciferum creatus fuit creator & Luciferi, & omnium creaturarum, tam visibilium, quam inuisibilium; quia *per ipsum n omnia facta sunt.* Quare longe aliud est dicere, Filium a Patre creatum fuisse principium viarum Dei, nempe productiuum omnium creaturarum; quod ait *o* Salomon: & Beemoth quem Deus fecit, esse principium viarum Dei, hoc est primum origine cunctarum creaturarum proprie dictarum; quod asserit *p* Iobus. Verum enim vero si dare voluerimus Ario simul & opinioni nouæ, Salomonem in eo loco Prouerbiorum agere de sola productione Verbi ad intra, non autem de constitutione Verbi in creatorem, vt vidimus (quod illis disputationis ergo damus, non concedimus vllo pacto) habebimus nihilominus in sacra pagina, quod istam productionem ostendat esse possessionem, creationemque improprie secundi modi, nimirum Filij concepti & partu editi veram propriamque generationem, a creatione proprie dicta contradistinctam; etenim sicut in Prouerbijs ait diuina sapientia: *q Dominus possedit me in initio viarum suarum,*

m cap. 40. 10 14.
n Ioan. 1. 3.
o Prou. 8. 22.
p cap. 40. 14.
q cap. 8. 22. & seqq.

rum, antequam quicquam faceret a principio. Nondum erant abyssi, & ego iam concepta eram: Ante omnes colles ego parturiebar: In eodem sensu verbis iisdem, *concepit, peperit, & possedit*, vtitur sacra pagina, dum apud Mosen agit de naturali generatione filij Heuæ primogeniti, dicens: *r Adam vero cognouit vxorem suam Heuam: quæ concepit, & peperit Cain, dicens: Possedi hominem per Deum.* Quocirca si sumantur vtrobique in eadem significatione, possessio, conceptio, & partus; quum Heua, non per creationem proprie dictam, a generatione contradistinctam, sed per improprie dictam creationem secundi modi, quæ vera generatio fuit, possederit filium suum primogenitum, ab se ipsa conceptum, & partu editum: Iam & Dominus Deus Pater ab initio & ante secula Filium suum *s* primogenitum *t* possedit, quem *u* concepit, *x* peperit, & *y* genuit ex vtero ante Luciferum; adeoque ante omnes creaturas; quum Lucifer ille fuerit prima creaturarum omnium; siue cum *z* Nazianzeno Theologo, *a* Damasceno, ceterisque Græcis, ac *b* D. Hieronymo censeamus Angelos esse creatos ante creaturas omnes corporeas: siue cum *c* D. Thoma & alijs existimemus eos esse conditos vna simul cum prima creatura corporea; nam Luciferum primam creaturarum fuisse, satis indicat etiam Isaias inquiens, *d Quomodo cecidisti de cælo Lucifer, qui mane oriebaris?* vbi Glossographus ordinarius, *Diabolus in exordio mundi creatus.* Verum enim vero mihi magis probatur prior explicatio. Sic ergo constat apertissime, Prouerbiorum oraculum, allatum ab Ario pridem, & ab opinione noua recenter inculcatum, ad suorum dogmatum confirmationem, nihil omnino fauere sententijs eorum, constituentium Filium Dei ad intra creatum esse proprie dicta creatione theologice, quæ sit eiusdem Verbi Diuini productio quantum

r Gen.4.1.
s Ps.88.28.
t Prou. 8. 22.
u ibid. 24.
x ibid. 28.
y Ps.109.3.
z Serm. de Nat.
a 2. de orth. Fid. c. 3.
b to. 9. sup. Epist. ad Tit. c. 1.
c 1. p. q. 61. ar. 3.
d cap. 14. 12.

tum ad esse simpliciter. Contra quos etiam Dauid in-
e Ps.109.3. troducit Deum Patrem, dicentem Filio suo, *e Ex vtero ante Luciferum genui te:* Quem locum explicans D. Au-
f in Ps.109. p.424 D. gustinus ait, *f Quid est ex vtero? ex secreto, ex occulto, de meipso, de substantia mea, hoc est ex vtero: quia generatio-*
g Isai.53.8. *nem eius quis* g *enarrabit?* Quare Verbum a Patre Deo genitum est, non proprie creatum ante secula, sed improprie, communiter, & abusiue; nimirum non creatum ad intra quantum ad esse sui, sicuti voluit Arius olim, & opinio noua nostræ tempestatis; sed creatum creator omnium creaturarum, vt antea fuse probatum a nobis est: Nequicquam obstantibus in oppositum allatis, quæ
h cap.3. vidimus *h* esse sophismata; speciatimque nouissime desumptum ex Prouerbijs; vnde tum Arius ipse pridem, tum opinio noua nunc argumentum texit a coniunctis ad diuisa fallacissimum, siue a secundum quid ad simpliciter, vt ostendimus: Quod non pigeat in re tanti momenti repetere; Dicunt autem: *Dominus Deus Pater creauit Filium initium viarum suarum: Ergo Dominus Deus Pater Filium suum creauit.* Paralogizant aperte perinde ac si dicerent: *Verbum factum est caro: ergo Verbum factum est.* Quorum dogmatum antecedens est dogma Fidei ve-
Ioan.1. rum, & oraculum *i* Euangelicum; consequens, inde male collectum, est placitum hęreticum, anathemate damnatum in Athanasij, & Nicæni Concilij, totiusque propterea Sanctæ Matris Ecclesiæ Symbolis. Illudi vero dialecticæ regulis in vtroque proposito paralogismo, do-
k cap.3. cet apertissime consimilis elenchus, vt antea *k* quoque notauimus, a coniunctis ad diuisa, simul & a secundum quid ad simpliciter, vulgatissimus in scholis, per ora studiosorum vagari nunquam non auditus: *Aristoteles fecit Alexandrum doctum: igitur Aristoteles fecit Alexandrum:* & in proposito nostro recentis opinionis autor ex oraculo Pro-

Prouerbiorum, in quo Dei Filius introducitur de semetipso dicens: *Dominus creauit me principium viarum suarum*; dum colligere necessario se putat, Dei Filium ad intra creatum absolute, similiter argumento constructo de semetipso pariter probare posset, absolute quantum ad esse simpliciter se creatum a Sacræ Theologiæ Collegio, dum pridem adepta laurea cooptatus est in Magistrorum numerum, inquiens: *Collegium Sacræ Theologiæ creauit me Magistrum: ergo Collegium Sacræ Theologiæ creauit me*. Sic etenim omnino paralogizat opinio noua, dicens in persona Filij Dei: *Dominus creauit me principium viarum suarum: ergo Dominus creauit me*. Itaque plumbeo pugione contra communem orthodoxorum Patrum sententiam, Concilij Nicæni, Catholicæque Sanctę Matris Ecclesiæ sanctionem militant Arius, & opinio noua, dum ex allato Prouerbiorum textu colligere conantur, Verbum Diuinum ad intra, Filiumque Dei proprijssime creatum esse simpliciter, Arius quidem ex nihilo, noua vero opinio ex præsupposito principio permanente in Filio producto; quod vtrumque pariter paralogismo nititur, necessitatem nullam habente, neque probandi vim vllam.

Summa Responsi de Creatione Filij Dei, nunc inter aliquot Viros Theologos controuersa, deducitur e traditis. Cap. XXI.

EX ante habitis igitur, & ex rei natura necessario colligendæ sunt in proposito mysterio productionis Filij Dei multæ conclusiones. Quum enim creatio *a* multipliciter dicatur; & proprijssime sumpta differat a generatione tum ratione termini, a quo; qui in creatione est non ens absolute, ac vere *b* nihil, contradictorie oppositum

a cap. 4. & seqq.

b cap. 13.

positum ipsi esse simpliciter in rerum natura; sed in generatione est ens determinatæ naturæ, ac essentia communis generanti: tum etiam ratione termini ad quem; qui in creatione est esse *c* simpliciter in mundo extra nihil, quod est esse simplicis existentiæ, transcendentale, ac indifferens, quo omnia conueniunt; & appropriatur vnicuique supposito: in generatione vero terminus, ad quem, est esse hoc; nimirum esse essentiæ, quo communicat generans cum genito, cui generans per actum generationis propriam essentiam impertitur, non communicata propria existentia, quæ ad essentiæ, atque naturæ differentiam est incommunicabilis omnino. Iam prima conclusio deducitur ex antea demonstratis: Filius Dei ad intra creatus est primo modo creationis alienissimæ; qua ratione *d* superius ostensum abunde fuit, intelligi debere Prouerbiorum *e* oraculum: *Dominus possedit me*, siue *creauit me initium viarum suarum, antequam quicquam faceret a principio*, &c. Quia Pater genitum ab æterno Filium, antequam quidquam in mundo faceret, constituit; atque creauit vna secum creatorem rerum omnium, atque sic operum suorum principium effectiuum: quam conclusionem hausimus ex DD. Augustino, Nazianzeno, & Cyrillo. Secunda conclusio probata *f* fuit, Filium Dei ad intra creatum esse secundo modo creationis æquiuoce dictę, sumpto nomine creationis ad indicandam proprie dictam Filij Dei generationem æternam: quem sensum vere monebas, optime Balde, proposuisse dudum Euaristum *g* Papam, verba illa Ecclesiastici, *h* *Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo*, legentem pro communi sensu Ecclesiæ, *Qui genuit me, requieuit*, &c. Tertia conclusio tractans de creatione secundum quid proprie dicta tertij modi, qua Deus Vnus & Trinus in orbis prima constitutione creauit ex materia

c ibid. ex D. Th. op. 37. c. 4.

I. Concl.

d cap 5. & 20.

e cap. 8 22.

II.

f cap. 6.

g Epist. 1.

h 24.

III.

tria

ria cælesti disposita Solem, Lunam, & stellas, in momento temporis, absque concursu causæ secundæ prorsus vllius, antea *h* satis ostensa fuit non habere locum in productione Filij Dei ad intra, vbi nulla fuit materia, nec vlla persona prorsus alia quam Patris rationem obtinuit producentis. Quarta conclusio demonstrata *i* fuit Filium Dei ad intra creatum non fuisse proprie simpliciter, vt aliæ creaturæ multæ de materia indisposita; sed ad extra vere creatum ita fuisse de sola materia Virginali, quæ sine concursu viri non fuit vltime disposita naturaliter ad induendam essentiam humanam organici corporis, & animæ rationalis; quam creationem Deus vnus atque trinus ediderit: De qua creatione confirmauimus agi luculenter in Ecclesiastico scribente: *k Tunc præcepit, & dixit mihi creator omnium: & qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo, & dixit mihi: In Iacob inhabita, & in Israel hæreditare:* & reliqua multa, quæ de Filio Dei verificantur, nonnisi quantum ad assumptam humanitatem. Quinta conclusio peragens de creatione quinti modi proprijssime dicta, qua producitur ens ex nihilo sui, probata fuit *l* eo sensu, tum quod Filius Dei ad intra proprijssime creatus non est ex nihilo, contra perfidiam Arij: tum in sacra scriptura tractari *m* de creatione rerum ex nihilo, contra placitum opinions nouæ: tum creationem ex nihilo locum habere in productione Filij Dei temporaria, non solum quia Christi rationalis anima de nihilo producta est a Deo: sed etiam Christi *n* existentia, vt aliarum rerum omnium infra Deum, a Deo creari de nihilo. Sexta conclusio est: Filium Dei ad intra creatum dici creationis nomine communiter, & abusiue sumpto in sacris literis, non autem proprie: quam veritatem ex Hilario, D. Thoma, & Bellarmino receptam opinio noua turbat, confundit, & distorquet definiens

h cap. 7.
IV.
i cap. 8.
k cap. 24. 12. & seqq.
V.
l cap. 9.
m cap. 13. & 14.
n cap. 13.
VI.

creationem per attributa propria generationis, quatenus hæc a creatione contradistinguitur: vt aperte fuseque confirmatum *m* est ex DD. Hilarij, & Thomæ sententijs enucleatis. Conclusio septimo loco latissime probata est, Fundamenta singula, quibus innititur opinio noua de Creatione Filij Dei ad intra ex substantia Patris, esse nimis *n* infirma, & falsa; desumpta ex autoritatibus Diuinæ Scripturæ, Sanctorum Patrum, & orthodoxorum Doctorum, partim *o* mutilatis; partim disputandi gratia datis, sed non *p* concessis, at improbatis ab earum autoribus, partim loco *q* dubitationum adhibitis, quarum postea solutiones afferuntur; & partim *r* falsa citatione propositis. Conclusio demum octaua sit, argumenta, quibus e sacra pagina deductis vtitur opinio noua pro stabilienda creatione Filij Dei ad intra theologice, vt ait, elenchorum in genere pura puta sophismata sunt omnino paralogizantia, vt *s* ostendimus euidentissime. Quare mirandum est, istam opinionem nouam non solum collaudatam esse subscriptionibus aliquorum etiam hoc æuo Theologorum apud nos, vel ex D. Thoma profitentium; sed etiam in animum irrepsisse celebris autoris, qui contrariam sententiam veram prius & publice professus fuerat in scholis, & inuulgauerat editam typis in epitome, consentiens communi Patrum doctrinæ. Ceterum vt de subscriptoribus illis existimare licet, eos non tam argumentis & autoritate primi magistri recentis opinionis persuasos atque permotos, quam obsequij causa, rogatos ab amico subscripsisse nouo placito, reclamante nequicquam *t* Aristotele, veritatem amicitiæ semper anteponendam esse: sic omnino sperandum est, noui dogmatis autorem, inspectis & attente consideratis animo pacato cunctis a me propositis antea, mutaturum opinionem, imitaturumque D. Augustinum suorum

scri-

m cap. 10.
VII
n cap. 11. 17.
o cap. 11 15 16. 19.
p cap. 12. 17.
q cap. 10.
r cap. 15.
VIII.
s cap. 3. & 15.
t 1. Ethic. c. 6.

ſcriptorum veritati pietatique non ita plane conſentientium retractationes ingenue ſcribentem, publicique iuris facientem; adeoque tanti Sanctique Doctoris exemplo rediturum ad orthodoxorum omnium Sanctorum Patrum, & Conciliorum Oecumenicorum ſententiam communem in re maximi momenti, qui procul a peruicacia, ſed modeſtiæ ſingularis cultor, non ita tenax eſſe videtur propriorum dictorum, quin ea vel promulgata typis, corrigat etiam in rebus exigui ponderis, admonitus de læſa doctrina, & veritate: Quum enim recens inuulgaſſet explicationem ſuam in duos priores libros Magiſtri ſententiarum, turpatam ſolœco, EPITOME THEOLOGICVM; & iſto ſub enormi titulo Triumuiris Moderatoribus Archigymnaſij ſubſignandam obtuliſſet ad impreſſionem: exemplaribus ita mendoſis iam inuulgatis, admonitus ab amico, græce perito grammaticiore de tituli ſolœciſmo, non obſtinate retinuit errorem, ſed prompte lubens ipſum deinde mutauit in altera parte, duos poſteriores Magiſtri libros explanãte, priſtinam inſcriptionem emendans, quam fieri curauit omnino correctam & in libri titulo, & in ſubſignatione Triumuirum Literariorum ſecunda: EPITOME THEOLOGICA, Quocirca nullus dubito, virum cordatum imitaturum eſſe pietatem, ingenuitatem, miramque modeſtiam Diui Auguſtini; qui ſuorum plurium antea dictorum Retractationes edidit ſaniores duobus integris voluminibus: Speroque virum minime pertinacem, minimeque peruicacem animo, in altiſſimo Fidei myſterio nunc iterum ad ſanam doctrinam, ſententiamque Sanctorum Patrum communem, ab Eccleſia Catholica retentam, facile rediturum; quam non ita pridem cum Subtilium Principe Scoto coluerat in ſubſellio publico pariter, & in vulgata ſua *Epitome Theologica*. Sic ædificabit proxi-
mum

u to. x. n. 47 de verbis Dom. serm. 56. mum loquendo, vt ait *u* D. Augustinus, auditorum lectorumque suorum mentes pia veraque doctrina nutriet; propriæque saluti prospiciet: Quæ tria semper sibi ob oculos habere debet vir pietatis, & veræ doctrinæ cultor insignis; qualem cum exopto: qualemque me profiteor; spero siquidem, qui posui manum *x* meam scribentem super arcum disputationis contra nouam opinionem, omnium hactenus orthodoxorum decretis aduersam, super impositas habuisse manus Sanctorum Patrum manibus meis iacientibus argumentorum *sagittas salutis Domini*, sagittasque veritatis contra falsitatem: quique *percussi iaculo* calami stiliue scriptorij *terram* errantis contemplationis, non *tribus tantum vicibus*, sed tum *quinquies*, *y* diluendo quatuor opinionis nouæ rationes octodecim vitia paralogismi continentes, & quintam Arij peccantem in materia: tum *sexies*, explicando sex differentias *z* creationis in sacris literis expressas: tum *septies*, & has differentias septem capitibus enucleando: & ista septima Quæsitorum sectione contemplationem de creatione Filij Dei theologice controuersam, ad sensa Patrum orthodoxorum explicando: tum denique vicies, viginti capitibus vniuersam huiusmodi meditationem absoluendo; spero inquam me *percussisse Syriam* recentis erroris *vsque ad consummationem*.

x 4 Reg. 13 vers. 16 & seqq.

y cap. 3.

z cap. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10.

Hæc ea sunt, optime Balde, quæ tecum vna censeo Catholicæ Fidei plane consentire, virumque Patrum orthodoxorum auditorem, sectatoremque (qualis est, & esse debet vnusquisque veritatem, atque pietatem omnibus rebus alijs anteponens) profiteri debere. Vale, meque diligere ne cesses. Dabam Patauij e meo Scalumnæ Museo. MDCIIL.

De

De Numinis efficientia, siue concursu Dei cum causis secundis ad quoslibet effectus producendos, ac speciatim ad actiones praua voluntatis eliciendos libere. *Cap. XXII.*

Fortunio Liceto Philosopho Eminent. & in Gymnasio Patauino Theoricæ Medic. in prima Sede Interpreti celeberrimo
Bartolutius Bartolutius I.C. Vtinens. P.P.F.

NVllus amor inter homines eo nobilior, qui sapientiæ auspicijs conciliatur. Is iucundus, constans, perpetuus, immutabilis, diuino quam simillimus. Hoc ipso affectu glorior ego, Vir Clariss. me tibi aliquot ab hinc annis vsque adeo deuinctum, vt ad te vnum, velut ad centrum, omnis studiorum meorum linea porrigatur: Nec mirum, quia quum mihi hæ desint virtutes, quibus tu inter principes ætatis nostræ sophos affluis, & præfulges, naturali quodam vehor instinctu ad illud summopere amandum, expetendumque, cuius ego inops, & pauper sum; quod Plato innuisse videtur, quando Amorem Filium Paupertatis dixit. Si quæras quibus earundem virtutum argumentis allectus te absentem, visuique ignotum, tam enixe amauerim, illud velim te reminisci, nullum in Orbe literarum Vacuum dari, quod multigenæ eruditionis tuæ gloriosa Fama non occupet, non impleat. Alæ, halitus, & sonitus quibus hæc per ora virûm volitat, & resonat, sunt innumera propemodum vigiliarum tuarum iam edita monumenta, quæ sicut diuersis diuersi generis operibus distribuuntur, ita diuersimode a doctioribus vsque ad sidera efferuntur. Multa paucis perstringam, si dixero, illa scientiarum, & quotquot sunt artium liberalium, iustum esse compendium,

&

& omnimodam directionem, præstantium ingeniorum delitias, & perspicuam rerum indagationem, Musæorum & Bibliothecarum nostri æui insigne præsidium, decus, & ornamentum. En, Vir Doctissime, amoris & obseruantiæ meæ erga te nondum de facie notum, elementa præclara: en illecebras, & lenocinia, quæ me tibi dediderunt. Quis amanti mihi septuagenario non arriserit, non plauserit? quis etiam fortè non inuiderit? Sed iam iam (vt in humanis rebus sæpe contingit) animus meus illa interna te amandi colendique oblectatione minime satur, ipsum, quem in riuis degustatum admirabatur Fontem, totum oculis, & auribus haurire festinabat: Nec ad persuasionem istuc veniendi eorum exempla desiderabantur, qui a remotissimis regionibus Athenas perrexere hoc solo intuitu, vt Græciæ Sapientes viserent, & audirent. E diuerso me deterrebant ætas grauior, & longioris itineris discrimen, ac præterea cùm propria, tum clientum negocia, a fide & industria mea opem expectantium. In hac rerum perplexitate, domus nostræ capitali periculo excitus Patauium aduolaui, posthabitis omnibus, quæ me retinere conabantur, sola spe videndi Fortunium, fortunæ acerbitatem leniens. Fortunate Fortuni, qui alienis infortunijs nominis tui recordatione mederis. Veni igitur, vidi, & infortunium vici, sed non Fortunium, cuius imò singularis humanitas, & suauissimus morum candor victum me indissolubili nexu sibi adstrinxit. Quid obsecro, intellecta propensione mea, facere, vir optime, poteras, quod non effeceris? In domum me tuam, studiorumque sacrarium perduxisti, quicquid secretæ & abditæ literaturæ tunc habebas, aperuisti; denique talem te mihi præbuisti, vt non minus de mea, quàm ego de tua præsentia gaudere videreris. Inde pluribus vicibus te Hippocratis aphorismos in publi-

co

co Gymnasio interpretantem audiui, tanto animi mei solatio, vt viderer ipsiusmet Hippocratis lectionibus interesse. Verum quia non voce tantum naturæ arcana præsentibus instillas, sed insuper, velut alter Apollo, aut Salomon, etiam de longe per epistolas ad te confluentium Quæstiones enodas, quas iam in vulgatis a te voluminibus, vniuersis patere pro tua bonitate voluisti; spero fore, vt & meæ curiositati indulgeas, quodque me diu ancipiti cura distorquet, dubium de peculiari concursu Dei cum causis secundis ad effectus quoscunque producendos, atque speciatim ad actiones prauas humanæ voluntatis eliciendas (circa quas plerumque versamur Iurisconsulti criminalium aduocati, Iudicesve) qua mirifice polles facilitate dissoluas, vt demum omni scrupulo liberatus, tibi quod didicerim gratus adscribam. Vale. Vtino XIX. Cal. Ianuar. M DC IIL.

Resp Liceti de concursu Dei cum causis secundis ad omnes earum actus promouendos, etiam liberos, atque prauos introducitur. Cap. XXIII.

Cl. Viro Bartolutio Bartolutio Vtin. I. C.
Fortunius Licetus B. A.

NÆ, Cl. Vir, Amor in me tuus dioptra Batauica, meas contemplationes mirum in modum amplificante, respiciens, de me tam alte sentit, vt encomijs tuis imparem esse meam mediocritatem agnoscam, quibus parem ipsam esse maxime cuperem. Amori tamen tuo, quamuis ingenti, certo scias velim me pari voluntatis affectu respondere, totumque semper ad tua vota futurum, quibus vt pro virili faciam satis, aggredior difficillimi tui Quæsiti tractationem: Qua in contempla-

tione summi Theologorum nostræ tempestatis, & superioris æui, magnis voluminibus, plurimisque disputationibus pangendis insudarunt, ingenia laborioso molimine iugiter exercentes. Faxit Deus vt ego tuis, meisque votis integre respondeam.

Profecto productio cuiuslibet effectus causarum secundarum (siue contineatur is in genere substantiæ, vt animal, aut planta, vel ignis: siue sit in coordinationibus accidentium, vt qualitas, vel actio, tam honesta, quam vitiosa) quum proprie generatio sit, Aristotele *a* doctore, terminatur de non esse ad esse *b* rei productæ. Quoniam vero cuiusque rei causarum secundarum actione productæ duplex esse reperitur; nimirum esse prædicamentale, quod est essentia, & interna natura cuiusque rei; quod quidem est esse compositum ex genere & differentia; & explicatur per definitionem rei, cuius est essentia & quidditas; per quod esse naturę ac essentiæ propriæ, singuli differunt a seinuicem; nam aliud est esse plantæ cuiuslibet, aliud animalis, & aliud ignis. Alterum vero est esse transcendens, quod est esse existentiæ simpliciter in mundo extra nihil, & extra suas causas, vniuersalissimum, simplicissimum, indifferens, in quo singula conueniunt; & quæritur per primam Quæstionem simplicem, An est appellatam. Quam doctrinam colluimus etiam *c* alibi cum *d* Ficino, & *e* D. Thoma. Quum etiam rei cuiusque productio terminetur ad vtrumque hoc esse, tam essentiæ, quam existentiæ, nam producitur non vniuersalis natura, sed singularis, & indiuidua semper, vt ait *f* Aristoteles; indiuiduum autem quodlibet obtinet naturam & essentiam suam prædicamentalem in specie determinata; simul & existentiam transcendentalem extra nihil, & extra causas quasque suas effectrices: quumque semper effectus causæ suæ corre spondere

a 1 de gen. t. 11. & seqq.
b 5. phys. t. 4 7. 8.
c 2. de ort. an. hum. c. 9. de sept. Quæst.
d 18. de im au.
e opusc. 37
f 1. meta. cap. 1.

dere g debeat, nullaque causa quidquam vltra suas vires, g 2. phys. .8.
ac supra suam naturam efficere queat; propterea cum causis secundis, quarum proprium est producere suorum effectuum essentiam naturamque prædicamentalem suæ consimilem, cooperatur Deus procreans eorundem effectuum existentiam, quæ transcendentale prorsus est esse, a prædicamentali natura minus communi, & se posteriore dependere minime valens. Cuius doctrinæ fundamenta seorsum diligenter explicanda sunt.

Præcipuum concursum Dei cum causis secundis in effectuum productione fieri, quia causa secunda producit naturam sibi similem, ac essentiam prædicamentalem sui effectus; Deus autem procreat illius effectus existentiam, quæ transcendentale esse dicitur, & ideo non potest ab vlla causa secunda produci, quia non transcendit entium genera. Cap. XXIV.

VNicuique rei productæ duplex esse prouenire a suis causis eam producentibus in termino suæ productionis; nimirum esse tum existentiæ simpliciter in mundo extra nihil, tum esse prædicamentale suæ naturæ specificæ, compositæ essentialiter ex genere & differentia, facile demonstratur ex eo, quod effectus quilibet habet hoc duplex esse; nam nec essentia reperiri valet, quæ non existat extra nihil in mundo: nec existentia potest esse non alicuius naturæ ac essentiæ; nam illa duo esse mutuo sunt intime coniuncta, & implexa, vt alterum sine altero non valeat in rerum natura reperiri; quod essentiæ cuiusque complementum intimum sit existentia: & existentia semper susceptaculum necessarium sit essentia. Quum autem quilibet effectus quodcunque sortitur esse in se, id omne prorsus acceptum referat suis

causis; iam videndum est a qua causa suam existentiam; & a qua suam essentiam recipiat quilibet effectus. Ac vt de natura & essentia primum agamus: quum ea sit esse prædicamentale, compositum ex genere, & differentia, omnino esse hoc, quo differunt a se singula; iam secundum hoc esse essentiæ singuli effectus producuntur a causis secundis consimilem naturam habentibus; quod sæpissime nos docuit Aristoteles, primo quidem asserens: *a omnis natura eius est essentiæ procreatrix, qualis ipsa est: veluti stirpes, & animalia; nam vtraque gignunt, ex principijsque producunt; vt arbor ex semine; id nanque principium est*. Deinde alibi: *b Naturalissimum enim operum, quæ in viuentibus (quæcunque perfecta, & non mutilata sunt, aut generationem spontaneam habent) est facere aliud, quale ipsum*. Deinceps multis alijs in locis ostendit Aristoteles, *omnia fieri ab vniuoco agente*; quod semper est causa secunda, generans essentiam suæ naturæ consimilem, tam in productione substantiæ, quam in productione accidentis; ait enim primo: *c Generatur igitur simpliciter alterum ex altero, quemadmodum & in alijs determinatum est, aut eiusdem generis, aut eiusdem speciei, vt ignis ab igne, aut homo ab homine; aut ab actu: durum enim a non duro generatur*. Deinde, *d Gignit etenim homo hominem; itaque ortus talis euenit speciei, quoniam talis, qui gignit, est*. Deinceps: *e Eorum autem, quæ fiunt, quædam natura, quædam arte, quædam a casu fiunt. Omnia vero, quæ fiunt, & ab aliquo, & ex aliquo, & aliquid fiunt. Aliquid vero dico secundum quodque prædicamentum; aut enim hoc, aut quantum, aut quale, aut vbi. Generationes vero, naturales quidem hæ eorum sunt, quorum generatio ex natura est: Ex quo autem fit, ea est, quam materiam dicimus: A quo vero, quippiam eorum est, quæ natura sunt: Ipsum autem aliquid, homo, aut planta, aut quicquam aliud similium, quæ maxime*

a 1. magn. mor. c. 10.
b 2. de an. t. 34.
c 1. de gen. t. 30.
d 1. de part. cap. 1.
e 7. meta. t. 22.

me dicimus substantias esse. Cuncta vero, quæ natura, aut arte fiunt, habent materiam; possibile enim est esse, & non esse eorum vnumquodque; hoc autem cuique materia. Vniuersaliter vero & id, ex quo, natura: & illud, per quod, natura: quod enim fit, habet naturam, vt planta, aut animal: & a quo, natura quæ secundum formam dicitur, quæ eiusdem speciei est: hæc autem in alio est, homo namque hominem generat. Sic igitur fiunt, quæ ob naturam fiunt. Ceteræ vero generationes dicuntur effectiones. omnes autem effectiones, aut ab arte, aut a potestate, aut ab intellectu. Harum ꝭ autem quædam etiam a casu fiunt, & a fortuna, perinde atque in his, quæ a natura fiunt; quædam enim & illic, eadem & ex semine, & absque semine fiunt. de his itaque postea considerandum est. Ab arte autem fiunt, quorum forma in anima: formam autem dico, ipsum quid erat esse vniuscuiusque, & primam substantiam; Etenim contrariorum quodammodo eadem forma est; priuationis namque substantia opposita substantia; vt sanitas ægritudinis; illius enim absentia ostenditur ægritudo: sanitas vero est ratio, quæ in anima & in scientia est. Fit autem sanum, ita intelligente: quum hoc sanitas sit, necesse est, si sanitas erit, hoc fieri, vt puta æqualitatem: quod si hoc, caliditatem; & ita semper intelligit, donec redigat in illud, quod ipse potest vltimum facere. Deinde motus, qui iam post hæc fit, effectio ad sanitatem appellatur. Quare quodam modo ex sanitate sanitatem accidit fieri, & domum ex domo, quæ sine materia, eam, quæ habet materiam. Ars enim medendi, & ædificandi est forma sanitatis, & domus: dico autem substantiam absque materia quod quid erat esse. &c. ex quibus luculenter apparet Aristotelem omnes causas infra Deum effectrices, quas appellamus secundas, redigere ad senas differentias, quas ait esse Naturam, Artem, Intellectum, Casum, Fortunam, & Potestatem; potestatis nomine generatim significans facul-

ꝭ tex. 22.

cul-

cultatem actiuam cuiuslibet alius rei praeter allatas. Quarum causarum operatio est producere naturam aliquam prædicamentalem, consimilem essentiæ, formæque suæ; proindeque sibi vniuocam vtcumque; talemque productionem moliri, non ex nihilo simpliciter, sed ex opposito, quod sit subiectum, in quo reperiatur priuatio opposita formæ producendæ: quam theoriam
g 1. phys. t. 43. etiam alibi docuit Aristoteles inquiens: *g Album quidem fit ex non albo: & hoc non ex omni, sed ex nigro, aut medio*.
h tex. 47. & mox: *h omne vtique, quod fit, fiet ex contrarijs*; con-
i 5 meta. t. 16. traria vero sunt quæ in eodem genere *i* degentia, plurimum inter se distant: non ens autem enti contrarium non est, sed contradictorium, cumquo non communicat in genere prorsus vllo: contraria vero generationem effectuum quamque secundis a causis prouenientem
k 1. physic. t. 50. 56. tem terminantia, in *k* eodem genere continentur; quorum vnum est *l* materia priuationem formæ gerens; alte-
l tex 60. rum compositum ex materia & forma. Quare causa secunda semper ex opposito subiecto producit essentiam prædicamentalem suæ naturæ consimilem, adeoque sibi quomodolibet vniuocam. Quod etiam repetit Aristo-
m 7. meta. t. 30. teles alibi scribens: *m Manifestum autem est ex his, quæ dicta sunt, & quod quodammodo omnia fiunt ex vniuoco, quemadmodum quæ natura sunt: aut ex parte vniuoca, vt domus ex domo: aut ab intellectu; ars enim forma est: aut ex parte, aut habente aliquam partem, si non per accidens fiant. Causa autem faciendi, prima secundum se pars; calor enim in motu calorem in corpore fecit: hic vero aut sanitas est, aut pars, aut sequitur eum aliqua sanitatis pars, aut ipsa sanitas: Quare & dicitur facere, quia illud, quod sequitur, & cui*
n tex. 31. *accidit calor, sanitatem efficit*. & mox: *n Semen nanque facit, sicut ea, quæ ab arte sunt: habet etenim potentia formam: & a quo semen est, quodammodo vniuocum (non enim*
omnia

omnia ita oportet quærere, sicut ex homine homo; etenim mulier ex viro, vnde mulus non ex mulo) sed si non læsura fuerit. Quæcunque vero, quorum materia potest & a scipsa moueri eo motu, quo semen mouet, a casu, sicut ibi, fiunt; quorum autem non, hæc impossibilia sunt aliter fieri, quam ex ipsis. & illico: *o Non autem de substantia solum ostendit ratio non fieri formam; sed de omnibus primis similiter communis ratio est, vt puta quantitate, qualitate, & alijs prædicamentis. Fit enim, vt puta, ænea sphæra, sed non sphæra; nec æs; & in ære fit; semper namque oportet præexistere materiam, & formam: ita & in ipso quid est, & in qualitate, & quantitate, & alijs prædicamentis similiter; non enim fit qualitas, sed quale lignum; nec quantitas, sed quantum lignum, aut animal; Cæterum ex his proprium substantiæ accipere est, quod necesse est præexistere semper aliam substantiam actu existentem, quæ facit, vt puta animal, si animal fit: quale vero, aut quantum, non est necesse, nisi potentia solum.* Et o tex. 32.
adhuc infra: *p Deinde quod quælibet substantia ab vniuoco fit. Quæ enim natura, substantiæ sunt, & alia: aut enim natura, aut arte, aut fortuna, aut casu fiunt. Ars igitur principium in alio; natura vero principium in ipso; homo nanque hominem generat. Ceteræ vero causæ priuationes horum sunt.* Ac denique: *q Manifestum itaque est, quod propter hæc non oportet ideas esse; homo nanque hominem generat, singularis aliquem. Similiter & in artibus; medendi enim ars ratio sanitatis est.* Ex quibus apertissime constat, vnamquamque causarum secundarum actione sua producere naturam essentiæ suæ similem in eodem prædicamento; nullamque prorsus agere vltra suum genus; adeoque suis effectibus in termino suarum actionum dare non esse simpliciter in mundo extra nihil, sed esse prædicamentalis essentiæ vniuocum suæ; quam essentiam vniuocam suæ generant ex essentia contraria in eodem prædicamen-

p 12. meta. t. 13.

q tex 18.

mento. Verum enimvero, quoniam essentia singularis, per actionem causæ secundæ genita sub certa specie prædicamentali, necessario requirit esse transcendentalis existentiæ, quo simpliciter extra nihil in rerum numero collocetur; siquidem, vt supra dictum est, in vnaquaque re duplex est esse: primum quidem esse simpliciter, ac simplicissimum, in quo cuncta communicant, quæcumque dicuntur entia; quo singula sunt extra nihil in entium vniuersitate, locum habens inter transcendentia coordinationes omnium prædicamentorum, quod proprio nomine vocatur existentia, seu esse existentiæ: Alterum vero esse hoc, compositum ex genere & differentia, quo singula differunt ab inuicem, & collocantur sub genere determinato, certaque specie prædicamenti sui; quod esse secundum appellatur nomine proprio essentia, siue natura: Si profecto nulla causa producere potest effectum seipsa priorem, nec vniuersaliorem, aut simpliciorem; sed semper effectus & causa mutua proportione sibi respondere debent; vt edocet *r* Aristoteles, & ratio confirmat, ostendens nihil vltra suas vires agere posse, producendo quid seipso præstantius: profecto quemadmodum res quælibet acquirit esse id quod est, nimirum esse secundum, atque particulare, quod est essentia, naturaque prædicamentalis intra cancellos determinati generis, certæque speciei comprehensa, similiter a causa secunda, particulari, prædicamentali, determinatam essentiam atque naturam intra limites certæ speciei conclusam retinente: sic ex aduerso res vnaquæque sortitur esse primum, ac vniuersalissimum, transcendentalis existentiæ, quo constituitur extra nihil non nisi a prima, & vniuersalissima causa, cunctas prædicamentorum coordinationes transcendente, nullo genere comprehensa, quæ sola quum sit ipsum esse per essentiam, potest

r 2. phys. t. 28.

potest effectus quoslibet, adeoque cuiuslibet existentiam ex nihilo procreare. Quam veritatem nedum e sacra pagina Theologi deducere possunt, verum etiam ex Aristotele Philosophi, constituereque nobiscum, Præcipuum concursum Dei cum causis secundis ad effectus quoslibet in quouis genere producendos, eum esse, quia res quælibet in termino suæ productionis a causis suis acquirit esse geminum, scilicet tum essentiæ, naturæque sub determinata rerum specie: tum existentiæ in mundo simpliciter extra nihil: esse quidem essentiæ recipit per actum generationis ex præexistente subiecto materiali a causa propria secunda consimilem essentiam obtinente; sed esse existentiæ sortitur a Deo per actum creationis e nihilo: Quapropter ad productionem cuiuslibet effectus cum causis quibusque secundis essentiam sibi similem generantibus ex disposita materia, vt edocet *f* Aristoteles, concurrit Deus ex nihilo creans essentiæ generatæ simplicem existentiam, qua constituitur in mundo simpliciter extra nihil; & quum existentia sit esse transcendens in quo conueniunt omnia prorsus; propterea Deus in sacra pagina legitur *t creator omnium, Mundi u creator, qui ex x nihilo fecit cælum & terram, & omnia quæ in eis sunt, & hominum genus*. Quum hominis naturam, & essentiam animalium primorum ab initio Deus fecerit ex *y* materia elementorum; successorum vero essentiam dimiserit generandam suis parentibus, quia creatis ab se de aquæ materia piscibus, & auibus, *z benedixit eis dicens, Crescite, & multiplicamini, & replete aquas maris: auesque multiplicentur super terram*. similiter creatis hominibus primis, viro de *a* terra, & muliere de *b* costa viri, *benedixit eis, & dixit: Crescite, & multiplicamini, & replete terram*. Atque de plantis itidem legitur. *Et ait Deus: Germinet terra herbam virentem, & c facientem semen:*

1 Determinatio Quæsiti.

f 2. de an. t 24. 26.

t Eccli. 24. 12.

u 2. Macha. 7. 23.

x 2. Macha. 7. 28.

y Genes. 1. & 2.

z Gen. 1. 23.

a Gen. 2. 7.

b Gen. 2. 22

c Gen. 1. 28

men: & lignum pomiferum, faciens fructum iuxta genus d *suum, cuius semen in semetipso sit super terram. Et factum est ita. Et protulit* (iussu Dei creantis ex materia sine semine, ac arida, proindeque indispofita) *terra herbam virentem, & facientem semen* (vi naturæ ac essentiæ suæ per physicam generationem ex interna sibi materia dispofita ad induendam seminis essentiam) *lignumque faciens fructum, & habens vnumquodque sementem secundum speciem suam.* Quia terra iussu Dei, creantis ex ea prorsus arida & insemini, vt ex materia non physice dispofita, primo supra naturam suam protulit omne lignum arborum, quod ex natura sua postea per actum physicæ generationis fecit fructum essentiæ suæ consentaneum, & semen iuxta speciem suam; ad similis naturæ propagationem in æternum. Quum tamen esse existentiæ cuique prorsus a Deo insit per creationem e nihilo: a quo per creationem ex materia indispofita fuit productio essentiæ primorum viuentium tam in genere stirpium, quam in genere animalium: & per creationem ex nihilo productio fuit essentiæ simul, & existentiæ cæli ac terræ, ceterorumque elementorum in principio temporis, ante quod, præter Deum Creatorem, in æternitatis momento nihil præfuit, ex quo creari potuerint. Sic igitur post entium primorum ab initio mundi creationem partim ex nihilo, partim ex materia indispofita patratam a solo Deo, cuncta producuntur a causis secundis per actum generationis physice producentibus essentias in propria specie prædicamentali, simul & a Deo, creante de nihilo singularum essentiarum prædicamentalium existentiam. Quam veritatem luculenter explicat D. Thomas agens ex professo de proposito; tum dicens: e *Quod aliquid dicatur creatum, hoc magis respicit esse, quam rationem*, hoc est formalem essentiam, quidditatem, atque naturam;

tum

d Gen. 1. 11 12.

e 3. p. qu. 2. ar. 7. ad 3.

tum asserens: *f Sicut ergo quum per naturam fit aliquid ex suo opposito, sicut esse animal fit ex non esse animal; ita necesse est, esse simpliciter, quod est proprium Dei effectus, emanare ex non-esse simpliciter: & hoc est alterum extremum contradictionis: non quod ipsum non-esse necesse sit duratione praecedere ipsum esse, sed natura tantum. Propria ergo causalitas Dei attingit extrema contradictionis, quae extra genus sunt* (nempe transcendentia) *& ideo actio sua nihil supponit necessario; & haec actio est creatio, quae non est de genere motuum, quum non habeat aliquod subiectum, tanquam principium motus sui. Motus autem semper est in mobili, vt in subiecto: inde est, quod haec actio sua solummodo est, & nulli creaturae communicatur. Actio enim rei non excedit principia ipsius per quae agit; omnis autem res creata in genere est; vnde impossibile est, creaturam ad id, quod non est in genere, attingere tanquam subiectum suae actionis. Huiusmodi autem sunt esse & non-esse, quae sunt extrema contradictionis, & creationis, & ideo nulla creatura creare potest.* & mox: *Esse namque diuinum proprie est ratio creandi; quia per creationem omnes res communiter accedunt ad participandum esse, quantum est eis possibile, non autem naturam diuinam. Ipsa enim non participatur a creatura; licet ibidem sit esse, & natura, & sapientia, & potentia, siue quodcumque huiusmodi: huiusmodi enim in paucis reperitur. In generatione vero non dicitur generatum ipsum ad participandum esse generantis, sed ad participandum naturam eius; aliter enim, quum esse sit suppositi; in tali natura foret participatio in supposito; & sic Sortes generaret Sortem: ideo in generatione Sortes non generat Sortem, quum suppositum non habeat nisi vnum esse incommunicabile: sed homo generat hominem. Natura enim manet vna secundum rationem naturae; quum definitio sit vna. Deus vero non creat Deum; Deus enim nomen naturae est, sicut homo: Ens tamen creat Ens: ideo rela-*

f opusc. 37. cap. 4.

tio creaturæ ad Deum fundatur super esse creaturæ. Relatio vero vnius rei ad aliam, super ipsas res principaliter fundatur: ideo proprie actio creaturæ ad rem terminatur (vnde compositum est, quod generatur, secundum Philosophum 7. metaphys. compositum enim habet naturam generantis) ad ipsum autem esse, ex consequenti; quum compositi sit esse: Actio vero Dei, qua producit totam rem simul constitutam ex suis principijs, ad ipsum esse terminatur, quod est intimum, & maxime formale in re; quum in ipso esse rei saluetur alterum extremum relationis, vt dictum est. &c. Ex quibus (in re difficillima, & controuersa necessario relatis) apertissime constat, in productione quorumlibet effectuum, post primorum creationem a solo Deo, cum causis secundis ex determinata dispositaque materia per actum generationis physice producentibus effectuum quorumcumque naturam, & essentiam in genere suo sub determinata specie collocatam, vt esse animal: esse calidum, & id generis; concurrere Deum, qui per actum simplicis creationis e nihilo producit vniuscuiusque effectus existentiam simpliciter in mundo extra nihil: quod esse transcendens est oppositum contradictorie nihilo, terminusque proprius, ad quem creatio est essentialiter instituta, post primæuam mundi originem, quæ creatio primorum entium terminata fuit ad vtrumque esse tam essentiæ, quam existentiæ primarum creaturarum; quibus pangendis nulla secunda causa vacauit, quia nulla præter primam tunc aderat in entibus ad id moliminis apta. Sic igitur præcipuus concursus Dei cum causis secundis in quorumlibet effectuum productionibus est, quia causæ secundæ per actum generationis effectionisve producunt essentiam, & naturam propriorum effectuum contentam sub certo genere in specie determinata: Deus vero per actum creationis absque motu producit exi-

sten-

ſtentiam ſimpliciter illius eſſentia nullo genere concluſam, nec vlla ſpecie comprehenſam, ſed omnia prædicamenta tranſcendentem. Qui concurſus eſt intimus, & immediatus, ac neceſſarius; quoniam exiſtentia pariter eſt intima, immediata, & neceſſaria cuilibet effectui in termino ſuę productionis, & cuique naturæ ac eſſentię in termino ſuæ generationis. Eſt autem ille concurſus formaliter Dei, vt Creatoris exiſtentiæ ſingulorum effectuum ex nihilo, cum creaturis generantibus eſſentias & naturas effectuum ſibi ſimilium & proportionatorum ex patiente *g* ſubiecto diſpoſito, propriaque materia. *g* 1. phyſ. t.62. 2. de an. t.24.26.

De ſecundo concurſu Dei cum cauſis ſecundis in productione quorumlibet effectuum, ſub ratione conſeruantis earumdem cauſarum eſſentiam, virtutem, & actionem. Cap. XXV.

QVum Deus omnium Creator ex nihilo ſit, eorundem conſeruator extra nihil in eſſe dicendus eſt; iuxta menſuram æui, cuicumque naturæ creatæ conuenientis; alioqui ſtatim ad nihilum reditura, niſi conſeruatrice Dei virtute, ac benignitate conſeruetur in eſſe; nam Deus eſt, vnde pendet omnibus eſſe, & viuere; vt ait Ariſtoteles; propterea ſecunda ratione concurrit Deus cum omnibus cauſis ſecundis in effectuum quorumcumque productione, ſub ratione primi entis, a quo cuncta reliqua dependent, ſiue ſub ratione primæ cauſæ, a qua ſecundæ cauſæ ſingulæ conſeruantur tum quoad ſuas eſſentias, tum quoad proprias virtutes, tum quoad earum ſingulas actiones. Quam veritatem coluit Ariſtoteles primum de Deo dicens: *a eſſe immortale, & diuinum, vnde & alijs pendet, his quidem clarius, his autem obſcurius, eſſe, & viuere*: nimirum *eſſe* propriæ naturæ, ac eſſentiæ, quæ cum actiua cauſatum virtute coincidit; & *viuere*, *a* 1. cœl. t.100.

quod

b 8. phys. t.1. 2. de an. t.13. quod est propria cuiusque *b* operatio; pendent autem essentiæ, virtutes, & actiones causarum secundarum a Deo, tanquam a sui tum primo conditore quoad existentiam, vt visum est; tum conseruatore, sine quo nec esse, nec agere valerent. Et alibi de Deo pariter: *c Restat vt summatim de causa disseramus, quæ cunctarum ipsa rerum vim habet tutricem, & continentem*. & mox: *Vniuersa tum ex Deo, tum per Deum constituta fuisse atque coagmentata, nullamque naturam satis instructam ad salutem esse posse, quæ citra Dei præsidium sua ipsa demum tutelæ permissa sit*. & paulo post: *Etenim cunctorum, quæ rerum natura complectitur, cum seruator est Deus, tum vero quæcunque in hoc mundo quoquo modo perficiuntur, eorum omnium genitor est; non sic tamen vt ipse opificis in morem, animalisque lassitudinem sentientis, labore affici possit: vt qui ea facultate vtatur, quæ nulli cedat difficultati; cuius ipse vi facultatis omnia in potestate continet; nec minus etiam quæ longius ab ipso videntur esse summota*. & infra: *Atque ita sit numen diuinum natura sua comparatum, quoquo vt versus permeet: nimirum ea, in quibus ipsi versamur, ac nobis superiora, pro eo quantus est accessus ad Deum, vel abscessus ab eo, eius opitulationem quoque sentiunt. Proinde id præstabilius esse censemus, Deoque decentius, tum magis consentaneum ita de eo opinari, vt dicamus potestatem illam in cælo sedes suas habentem, incolumitatis causam rebus vniuersis præstare, ijs quoque, quæ longius ab eo remota sunt*. & adhuc infra. *Quare augustius id decentiusque existimandum est, Deum summo in loco ita esse collocatum, numinis vt tamen eius vis per vniuersum mundum pertinens, tum Solem Lunamque moueat, tum cælum omne circumagat: simulque causam præbeat eorum, quæ in terra sunt, salutis & incolumitatis*. & inferius: *Hanc eandem igitur rationem Deus habet in mundo, vt pote qui vniuersorum coagmentationem cohærentem cohibeat & coarctet*,

c de mundo. c.7.

ctet,

ſtet, incolumitatemque vniuerſitatis conſeruet. & poſtea: *Et cuſtos vrbium vocitatur* Deus; quod accepit a Pſalte concinente: *d Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtra vigilat qui cuſtodit eam*. Subdit Ariſtoteles de Deo: *e Denique Seruator dicitur, ac Aſſertor*. & mox: *Enimvero Deus (vt eſt vetuſto verbo proditum) principium, & finem, & media rerum omnium tenens, rectaque linea incedens, operatur ille quidem ſecundum naturam* &c. Quibus apertiſſime conſtat Deum eſſe rerum omnium ab ſe creatarum conſeruatorem. Quod & alibi docet Ariſtoteles inquiens: *f Vt enim entia bene ſe partim habeant, partim fiant, nec ignem fortaſſis, nec terram, nec aliud huiuſcemodi quicquam veriſimile eſt cauſam eſſe: nec illos* antiquos ſapientes *veriſimile eſt arbitrari: nec rurſus caſui, & fortunæ tantam attribuere rem probe ſe habet. Quare qui vt animalibus, ita in natura Intellectum ineſſe cauſam mundi, totiusque ordinis dixerat, quaſi ſobrius comparatus ad antiquiores vana dicentes, apparuit*. Intellectus autem humanus conſeruat humanum corpus, quod eo abeunte per mortem diſsoluitur & computreſcit: vt ait alibi Magiſter *g* aſserens, ab anima contineri conſeruarique corpus, qua abeunte, animal expirat, & putreſcit, abiens in elementa, ex quibus pridem coagmentatum fuit; ita plane Deus vniuerſum, ab ſe de nihilo creatum, continet atque conſeruat; qui ſi retraheret ab eo vim ſuam conſeruatricem, protinus ad nihilum rediret, ex quo primum creatum fuit. Inſuper Ariſtoteles alio loco ſcribit, Deum eſse principium omnium; ens neceſsarium; immutabile, bonum; ſine quo non bene eſt quodcumque eſt; a quo dependet cælum, & vniuerſa mundi natura; quæ dependentia Philoſopho ponenti mundum æternum, eſse non poteſt niſi perennis conſeruatio eius, quod ab æterno creatum a Deo cenſuit; verba Philoſophi ſunt: *h Ex neceſſitate itaque eſt ens:*

d Pſ. 126. a
e de mund. c. 7.
f 1. metaſu. 2. c. 2.
g 1. de an. t 90.
h 12. meta. t. 38.



& prout necessitas bene est, & sic principium. Necessarium namque toties dicitur; quoddam vi quia præter inclinationem: quoddam, sine quo non bene esset: quoddam, quod non contingit aliter se habere, sed simpliciter est: A tali ergo principio tum cælum, tum natura dependet: quoniam a summo Deo cælum, & absolute natura Vniuersi, dependet per assiduam conseruationem in esse, a quo primum per creationem peruenit ad esse. Præterea pulcherrime, licet subobscure, de conseruatione rerum a Deo tractat Aristoteles, dum ait, Naturalissimum esse cunctis etiam corruptibili-
h 2. de an. t. 34. 35. bus generare sibi similia, *h Vt ipso semper, & diuino participent, secundum quod possunt; omnia enim illud appetunt, & illius gratia agunt omnia quæcunque agunt secundum naturam. Ipsum autem cuius causa duplex est: hoc quidem cuius, illud vero cui. Quoniam igitur communicare non possunt ipso semper, & diuino continuatione, propterea quod nihil contingit corruptibilium idem & vnum numero permanere; secundum quod potest participare vnumquodque, sic communicat: hoc quidem magis, illud vero minus; & permanet, non ipsum, sed quale ipsum; numero quidem non vnum, specie autem non vnum.* Nimirum appetunt omnia semper existere, quod Aristoteles appellat esse diuinum participatum; quia rebus quibuslibet a solo Deo per actum creationis datum est, per modum suæ cuiusque dispositionis atque capaci-
i 12. meta. t. 30. 2. cæl. t. 92. 93. tatis, alijs in indiuiduo, nempe *i* materia carentibus; alijs in specie solum, per continuatam generationem nouæ sobolis eiusdem naturæ, ac essentiæ consimilis. Quam quidem continuationem generationis, conseruantem τὸ existere semper in specie rerum generabilium, a Deo fieri, scribit euidentissime Philosophus alio loco dicens:
k 2. de gen. t. 59. *k Quoniam autem in omnibus inquimus quod melius est, desiderare naturam semper: melius autem esse, quam non esse: esse autem quot modis dicimus, in alijs dictum est. hoc autem in om-*

omnibus impossibile existere. proptereaquod longe a principio distant: reliquo autem modo compleuit totum Deus, continuam faciens generationem. Ita enim maxime continuabitur ipsum esse, quia proxime est substantiæ fieri semper generationem. Quæ mirifice conferentia nobis ad explicandum istum secundum Dei concursum cum causis secundis, diligenter animaduertenda sunt singillatim. *Quoniam autem in omnibus inquimus*, ait, *quod melius est, desiderare naturam semper* (quæ quidem natura est essentia prædicamentalis cuiusque rei) *melius autem esse quam non esse: esse autem quot modis dicitur, in alijs dictum est.* (siquidem in Metaphysicis edocuit, duplex esse reperiri; quorum vnum est esse transcendens existentiæ rerum omnium extra nihil in mundo: alterum est esse prædicamentale naturæ, seu essentiæ; quod vlterius in decem summis rerum coordinationes, generaque suprema distributum est: nunc autem dicens quod *melius est esse, quam non esse*, loquitur de esse transcendentalis existentiæ, cui oppositum *non-esse* est ipsum nihil; non autem agit de esse, & non esse prædicamentalis essentiæ, ac in genere naturæ; quia quum loquatur hic de terminis oppositis productionis, quæ semper est a non esse ad esse rei productæ; non semper melius est esse naturæ in termino ad quem generationis, quam sit non-esse peculiaris illius naturæ in termino a quo, quia dum generatur lolium e tritico, vt ait *l* Theophrastus, aut canis ex equo, vt exempli gratia dicit *m* Aristoteles, aut pulex e cane, pediculus ex homine, terra ex *n* igne, laborans ex *o* sano; esse-laborans non est melius ipso non-esse laborans, quod est esse sanum: & esse terræ non esse melius ipso non esse terræ, quod est esse ignis: esse pediculi non est melius ipso non-esse pediculi, quod est esse-homo: esse-pulicis non est etiam melius ipso non-esse pulicis, quod est esse-canis;

l 2. hist. c. 5
m 1. phys. t. 76.
n 2. de gen. t. 25.
o 7 meta. t. 22. & sequentib.

& esse lolij non est melius ipso non-esse lolij, quod est esse tritici; & ita de alijs; verum agit in præsentia Philosophus de ipso esse existentiæ, quod semper melius est ipso non-esse sibi opposito, quod proprie dicitur non esse simpliciter, ac omnino nihil. Hoc autem esse transcendens addit Aristoteles) *in omnibus impossibile existere semper, propterea quod longe a principio distant:* (quod est immateriale, sempiternum, ens per essentiam, independens omnino) *reliquo modo complevit totum Deus, aeternam faciens generationem.* (Hanc sane sententiam videtur Aristoteles ex Ocello Lucano protulisse, qui suo in opere
p cap.4 „ De vniuersitatis natura *p* scribit ipsissima: Si quidem facultates ipsas, instrumenta, & appetitus hominibus dedit Deus, non vt voluptate fruantur, sed vt eorum genus perpetuo duret, ac permaneat. Nam quum fieri non possit, vt homo ipse qui mortalis natus est, diuinitatis efficiatur particeps: si generis immortalitas absumatur, in singulis suppleuit Deus, & generationem hanc infinitam & continuatam reddidit. Hoc vnum igitur spectare in primis oportet, non esse concumbendum voluptatis causæ. Sic Ocellus ibi. Sed Aristoteles ijsdem fere verbis altiorem, magisque philosophicum intellectum expressit; cui nempe, Deus complet esse totum, constitutum ex esse essentiæ, ac esse existentiæ cuiusque rei; dum ipsi esse essentiali naturæ prædicamentalis, a generante causa secunda producto, in termino generationis illius adiungit esse transcendens existentiæ, quæ complementum est essentiæ genitæ; cuius æternitatem secundum speciem eorum, quæ propter materiæ contagionem distant a primo principio immateriali, promouet ipse Deus continuum faciens generationem indiuiduorum sibi semper in eadem specie naturaque succedentium. Hanc autem continuam generationem non

effi-

efficit nisi conseruans eiusdem generationis continuatam existentiam, quam propriam eiusdem naturam & essentiam prædicamentalem; & per hoc essentiam speciei generabilium eandem in æternum.) *Ita enim maxime continuabitur ipsum esse, quia proxime est substantiæ semper fieri generationem.* Siquidem quum substantia rei genitæ sit immediatus terminus generationis; vbi generatio continua perpetuaque sit, vna iugiter alteram absque intermissione succedente in eadem specie, naturaque essentiali; necessarium penitus est per continuationem generationis conseruari perpetuam substantiam speciei rerum generabilium. Et hac ratione Deus concurrit cum causis secundis omnibus in productione rerum, conseruans earundem causarum actionem, quæ generatio dicitur, æternam. Quam quidem æternitatem, quod vna numero sit entitas, fieri ab vno Deo, non autem a multis & omnibus causis secundis ad inuicem in agendo sibi succedentibus (quod aliquis existimare perperam valeret) aperte docet Aristoteles alibi dicens: q *vt igitur alia quidem generentur, alia vero corrumpantur, & hoc sit continue, nulla causa est immobilium quidem, non semper autem existentium: neque rursus eorum, quæ semper quidem hæc mouent, horum autem alia; ipsius enim, quod semper est, & continui, neque vnumquodque ipsorum causa est, neque omnia; nam sic se habere perpetuum, & ex necessitate est: omnia autem infinita; & non simul omnia sunt. Manifestum est igitur, quod quamuis decies millies aliqua principia immobilium quidem, mouentium autem; & multa eorum, quæ ipsa seipsa mouent, corrumpantur; alia vero insuper generentur; & hoc quidem immobile existens hoc mouet, alterum autem hoc; at nihilominus aliquid esse, quod continet,* (id autem est prima causa conseruans) *& hoc, præter vnumquodque, esse id quod est causa vt alia quidem sint, alia vero non;*

q 8. phys. t. 46 47.

& continuæ mutationis : & hoc quidem his ; hac autem alijs causa motus sint . Quibus Deum aperte ponit causam continentem, & conseruantem omnia & singula in esse existentiæ, singulorum naturæ congruentis, ac in essentia speciei perpetua, conseruata iugiter per continuatum actum generationis indiuiduorum, ad inuicem sibi succedentium in eadem specie, naturaque sub proprio genere comprehensa. De qua conseruatione rerum omnium a summo Deo loquitur etiam Philosophus, vbi

r 7 eudem. cap.18. scribit : *r Patet autem sic esse, quemadmodum in Vniuerso est Deus, & vicissim cuncta in illo*. Non enim aliter in Deo cuncta sunt, quam in causa res omnes in esse conseruante.

f 4. phys. t.23. quo modo dicit alibi *f* Magister, aliquid esse in aliquo, *vt in Rege Græcorum res, omnino in primo mouente. Amplius vt in ipso bono, & omnino in ipso fine; hoc autem est id, cuius causa*.

t 12. meta. t.52. & alio loco: *t Perscrutandum autem etiam hoc, quonam modo natura Vniuersi habeat ipsum bonum, & ipsum optimum: vtrum separatum quiddam, & ipsum, an per se, an ipso ordine. An vtroque modo, quemadmodum exercitus: etenim bene esse eius, in ordine, & dux ipse est; ac magis ipse; non enim ipse propter ordinem, verum ordo propter ipsum est*. Vt ergo exercitus est in duce, & res Græcorum sunt in Rege, tanquam in sui bono, & optimo, ac fine, omninoque in sui causa conseruante; sic Aristoteles ait entia cuncta esse in Deo, velut in sui bono, ac optimo, vltimoque fine, suique causa conseruante; nam finis est causa perficiens & conseruans omnia, quæcumque sunt gratia finis. Ceterum nedum ex Aristotele, verum etiam e sacra pagina Deum habemus omnium esse conseruatorem; etenim apud Apostolum legitur de Deo:

u Act.17. 28. *u In ipso enim viuimus, & mouemur, & sumus*: nempe tria considerantur in nobis, vt in qualibet alia re: VITA,

x 2. de an. t.37. quam Aristoteles appellat esse essentiæ, dicens: *x Ipsum autem*

autem viuere viuentibus esse est. Deinde MOTVS, quo designantur omnes actiones essentiam consequentes; nam actiones *y* eidem autori, cum motu sunt. Deinceps ESSE simpliciter, quod est esse transcendens existentiæ; de quo Salomon ait, *z Deus creauit vt essent omnia*; quorum esse est finis creationis eorum. Hæc autem tria sic a Deo dependent, vt sint post sui ortum in Deo velut in causa cunctorum conseruatrice; sine qua cuncta demum caderent in nihil, vnde per creationem primum a Deo fuerunt eruta. Conseruat autem Deus omnia, tum essentias, tum essentiarum virtutes, tum virtutum operationes in esse transcendentalis existentiæ, prout vnumquodque dispositum & capax est mensuræ conseruationis; quæ dispositio, capacitasve plurimum sequitur conseruandæ rei naturam; sed nonnunquam etiam eiusdem rei merita, vel demerita: merita quidem, qua ratione Deus olim prorogauit vitam Ezechiæ Regi ad annos *a* quindecim, vltra tempus debitum naturali complexioni suæ. Demerita vero, quoniam teste Dauid, *b Viri sanguinum, & dolosi non dimidiabunt dies suos*. Itaque Deus concurrit secundo cum singulis causis infra se positis ad productionem omnium effectuum, quia causarum illarum omnium assidue conseruat in esse tum essentiam naturalem ipsarum, tum virtutem operatiuam eius essentiæ in actibus suis promouendis, tum etiam actiones ab illarum essentia, virtuteque promanantes, sine quo Dei concursu conseruatiuo nec essent, nec operarentur causæ secundæ; quia nihil agit nisi sit actu extra nihil in rerum natura, vt edocet *c* Aristoteles. Iste vero concursus Deo conuenit, quatenus est summum bonum; quia bonitatis est conseruare alia in esse; quum ista conseruatio sit quędam participatio esse diuini, vt vidimus apud *d* Aristotelem; proprietasque boni sit esse communicabile.

y 3. meta. t. 3.
z Sap. 1. 13. 14.
a 4. Reg. 20.
b Ps. 54. 24.
c 3. phys. t. 11. 17.
d 2. de an. t. 34. 35. 2. de gen. t. 59.

De

De tertio concursu Dei cum causis secundis ad quoslibet effectus producendos, sub ratione primae causae gubernantis omnes alias in actionibus proprijs peragendis. Cap. XXVI.

TRia quum in Deo sint attributa praecipua, quibus mundum potissime respicit; quorum vnum est Omnipotentia, qua cunctorum essentias primas, ac entitates de nihilo creauit: vnde S. M. Ecclesia concinit in Symbolo Apostolorum, *Credo in Deum Patrem, Omnipotentem, Creatorem caeli, & terrae*; pariter in Nicaeno, *Credo in vnum Deum, Patrem Omnipotentem, factorem caeli & terrae, visibilium omnium, & inuisibilium*: Aliud est, infinita Bonitas, qua cunctis creaturas conseruat in esse, suae cuiusque naturae, dispositionibusque conuenienti, sicuti visum est. Tertium est, infinita Sapientia, qua Mundum, ac in eo res omnes mirifice gubernat. Iam tertius concursus Dei cum causis quibusque secundis ad quoslibet effectus producendos est, quia Deus vnamquamque causam in opere suo peragendo recte gubernat. De qua quidem gubernatione non solum Boethius egregie concinit in sua Consolatione *a* Philosophica:

a lib. 3. metr. 9.

O qui perpetua mundum ratione gubernas,
Terrarum caelique sator: qui tempus ab aeuo
Ire iubes: stabilisque manens das cuncta moueri.
Quem non externae pepulerunt fingere causae
Materiae fluitantis opus: verum insita summi
Forma boni, liuore carens: tu cuncta superno
Ducis ab exemplo: pulchrum pulcherrimus ipse
Mundum mente gerens, similique in imagine formans.
Perfectasque iubes perfectum absoluere partes.
Tu numeris elementa ligas, vt frigora flammis,
Arida conueniant liquidis: ne purior ignis

Euo-

Euolet: aut mersas deducant pondera terras.
Tu triplicis mediam naturæ cuncta mouentem
Conuertens animam per consona membra resoluis.
Quæ quum secta duos motum glomerauit in orbes
In semet reditura meat, mentemque profundam
Circuit: & simili conuertit imagine cælum.
Tu causis animas paribus, vitasque minores
Prouehis, & leuibus sublimes curribus aptans
In cælum terramque seris: quas lege benigna
Ad te conuersas reduci facis igne reuerti.
Da Pater augustam menti conscendere sedem:
Da fontem lustrare boni: da luce reperta,
In te conspicuos animi defigere visus.
Disijce terrenæ nebulas & pondera molis:
Atque tuo splendore mica. tu namque serenus,
Tu requies tranquilla pijs. te cernere finis,
Principium, vector, dux, semita, terminus idem.

verum etiam Aristoteles antea multo sæpe veritatem istam promulgauit; primo quidem in Metaphysicis asserens: b *Qui vero dicunt mathematicum numerum primum, & ita semper aliam attiguam substantiam, ac alia cuiusque principia, inconspirantem Vniuersi substantiam faciunt (nihil enim altera alteri confert, siue sit, siue non sit) & principia multa. At entia nolunt male gubernari. non est bonum pluralitas principatuum. vnus ergo Princeps.* & in opusculo De Mundo scribens: c *Eandem ipsi rationem statuimus & in Deo, qui vniuersum mundum moderatur, & regit. Et sidera enim semper, & vniuersum ipsum cælum eos ad numeros mouentur, quos Deus sursum quasi auspicando præcinendoque emodulatur.* & mox: *Vt summatim iam loquamur, quod in naui gubernator est, quod in curru agitator, quod in choro præcentor, quod denique lex in ciuitate, & Dux in exercitu, hoc Deus est in mundo. Nisi si hactenus interest, quod labor*

b 12. meta. t. vlt.

c cap. 7.

&

& motus multiplex illos exercet, & cura angunt varia; suum huic elaborata succedant omnia, omnis molestiæ expertia, citraque corporis infirmitatem; quippe cui in loco stabili, immotoque collocato omnia mouere, & circumagere pro arbitrio liceat, quo libitum est cunque, & quomodo libitum est: idque diuersis in formis simul atque naturis. Id autem simili ratione facit ille, atque lex ciuilis, quæ immobilis ipsa existens in vtentium animis, regit omnia ad rempublicam pertinentia. Et ciues quidem quasi eius asseclæ in medium prodeunt: qui autem principes vocantur, ad prætorium se conferunt: legislatores ad propria tribunalia: senatores denique, & qui concionatores dicuntur, ad consessus sibi contributos conueniunt. Rursus is in Pritaneum it, cui scilicet datum est, in eo vt publico victu epuletur: alter rapitur ad iudicium, causam vt ibi dicat: in carcerem alius compingitur, vt supplicio afficiatur illic. Tum vero epulones in ciuitate celebres ad epulas legitimasque conueniunt. Iam vero aguntur dies festi, iam ludicra solennia, iam anniuersaria sacrificia fiunt diuis, heroesque ritu suo coluntur: postremo inferiæ mortuis inferuntur: Sic alia ab alijs facta vno vel imperio, vel legis vna autoritate, asseruant eum, qui obtemperat.

„ Sic vrbs simul plena est vaporibus sacris,
„ Resonatque cantibus pijs, ac luctibus.

Hoc idem de Vrbe quoque maiore, de hoc inquam mundo existimare debemus. Deus enim nobis lex est, in omnem illa quidem partem ad æquilibrium vergens, nullam correctionem admittens, nullam varietatem: quippe quæ potior sit illis legibus, & stabilior, quæ in tabulis præscriptæ sunt. Eius enim auspicijs perenniter, & composite praeuntis vniuersus hic cæli ordo regitur atque administratur, numeros omnes concinnitatis habens: in omnes ipse naturas partitus pro vniuersitate seminum, in ea quæ hærent solo, atque in animantia, quæ etiam suis ipsa generibus formisque distincta sunt. Nam &

vites

vites sunt, & palmæ, & persica, ficique dulces, & oliua (vt inquit Poeta). Tum quæ fructus expertia, alios vsus præstant, platani, pinus, buxi, alni, populus etiam nigra, & cupressus odorata. Tum quæ autumni tempore fructum suauem fundunt, sed conditu difficilem, piri, punicæ, mali. At vero animantium aliæ feræ sunt, aliæ cicures, tum in aere, tum humi, tum in aqua victitantes: oriunturque, & inualescunt, & deinde intereunt, legibus obtemperantes diuinis, atque cedentes. Omne enim reptile (vt inquit Hesiodus) terram depascitur, atque possidet. Vnus porro Deus quum sit, pluribus nominibus appellatus est: ab ijs vtique suis omnibus effectibus denominatus, quorum specimen edere ipse solet. & cetera; quibus Diuina Mundi gubernatio circa res alias omnes ab Aristotele celebratur, ac tandem ita concluditur ibi: *Enimvero Deus (vt est vetusto verbo proditum) principium, & finem, & media rerum omnium tenens, rectaque linea incedens, operatur ille quidem secundum naturam, e vestigio comitem habens iustitiæ præsidem, quam Δίκην nominauerunt, diuinæ legis vindicem, simul vt quicquam sanctionum eius prætermissum est. Cuius vt sit particeps numinis iam inde oportet ab initio, qui ad vitam beatam euasurus est atque felicem.* Quum latius hic exaratam Dei gubernationem idem Aristoteles ad compendium contraxit tum in Physicis, tum in Metaphysicis; ibi quidem aiens: *d Duplicia autem sunt principia mouentia physice; quorum alterum non physicum est; non enim habet motus principium in seipso; tale autem est, si aliquid moueat, quod non mouetur: vt id, quod penitus est immobile, & quod omnium primum est.* Hic autem, vt visum est, asserens omnia entia bene gubernari a Deo: ne alia multa loca Philosophi *e* referam in proposito, late nobis allata in opere *f* De Pietate Aristotelis ergo Deum & homines, quæ facile videre poteris. De gubernatione diuina multo antea Salomon, de

d 2. phys. t 73.
e 12. meta. t. 51. & sequentib.
f l. 1. c. 8. 9.

g Sap.8. Deo tractans sub nomine Sapientiæ, scribit *g Attingit ergo a fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter.*
h cap.14. & infra: *h Tua autem Pater prouidentia ab initio cuncta gubernat.* Quam gubernationem Dei tractat egregie Diuus
i 1.p.q.22 ar.1.2.3. *i* Thomas, & nos explicare tentauimus in Quæsito *k* de
k de Quint Quæs.c.1. & seqq. Prouidentia, dudum inuulgato. Nunc addere liceat breuiter, Gubernationem, qua Deus mundum temperans omnia & singula regit, formaliter esse regimen omnium actionum, siue operationum, a causis secundis quibuslibet emanantium quomodocumque, siue causæ sint actiuæ, siue passiuæ; concurrit enim Deus gubernans & cum causis efficientibus ad agendum, quarum vim actiuam in agendo regit; & cum causis materialibus in patiendo, quarum passionem etiam moderatur: proprie vero gubernatio non attingit existentiam, nec essentiam secundarum causarum, aut effectuum illarum; sed solum rectitudinem virtutum operatiuarum, & actionum, operationumque illarum: illæsa semper operantium natura; siquidem non gubernat, quod vim affert operanti secundæ causæ, detrahitque naturali eius conditioni: qualis in humana voluntate libertas est agendi.

Explicantur allati tres concursus Dei cum causis secundis in productione substantiarum. Cap. XXVII.

TRes itaque iam vidimus esse concursus Dei cum causis secundis ad effectus omnes promouendos; quorum vnus est, quo Deus vt omnipotens infinita virtute sua de nihilo creat esse transcendentalis existentiæ, per quod vnaquæque res prædicamentalis in certo genere producta a causis secundis eiusdem speciei, est extra nihil, & extra causas suas. Alter concursus est, quo Deus vt optimus infinita bonitate sua conseruat in esse

ab

ab se creato tum causas omnes secundas, tum earum virtutes, operationes, & effectus, pro modulo dispositionis, capacitatis, & naturæ cuiusque. Tertius concursus est, quo Deus vt sapientissimus optime gubernat omnes causas secundas in suis operationibus nullam violentiam illis inferens. Quorum concursuum duo priores abstrahunt formaliter ab omni motu; sed iste tertius videtur aliquam motus formalitatem habere in ratione regiminis causarum operantium, & in directione suarum operationum: & ideo Philosophus *a* Deum gubernatorem omnium ait esse principium immobile omnium primum, sed physice mouens. A tali vero principio quum cælum, & tota natura *b* dependeat, proindeque res vniuersæ, quæ tres ad summas classes redigi possunt, nimirum, ad substantias, & ad accidentia; quorum alia permanentia sunt, vt quantitas, qualitas, & similia, sed alia non permanentia naturam & essentiam obtinent in fluxu, successioneque positam: præstat singula seorsum in sui productione referre ad conditorem omnium Deum, quatenus concurrere dicitur cum causis secundis. Ac vt primum De substantiarum productione tractemus; hæc duplicis originis esse videntur; nam aliæ conditæ fuerunt a solo Deo per actum simplicis creationis e nihilo tum quantum ad existẽtiam, tum quantum ad essentiam, absque concursu secundæ causæ penitus vllius, vt in exordio mundi substantiæ spirituales angelorum, & corporales cæli, terræ, triumque aliorum simplicium elementorum. At vero ceteras omnes substantias in prima hebdomada creauit Deus concurrens cum causis secundis materialibus, corporeisque creans *c* ex materia indisposita plantas, & bestias, hominemque de terra, pisces & aues ex aquis, gubernans horum elementorum passiuam potentiam, & actum passionis illis non ita physice conue-

a 2. phys. t.73. 12. meta. t.14. de mund. c.7.
b 12. meta. t.51.
c Gen. 1. & 2.

nientem, adeoque iussu suo, qui vocat ea quæ non sunt
d Rom. 4. 17. *d* tanquam ea quæ sunt, attollens ad illud muneris, ad quod per se peruenire non poterant. Verum post Mundi primæuam illam constitutionem singulæ substantiæ corporales productioni obnoxiæ, suam originem obtinuerunt a causis secundis cum eis concurrente Deo. Quoniam vero vnus homo complectitur in se naturas & essentias omnium substantiarum inferiorum, si diligenter explicuerimus omnem Dei concursum cum causis secundis in vna productione hominis; inde plane cognouerimus concursum Dei cum causis infra Deum ad omnes alias substantias producendas. Profecto causa secunda hominem generans alius est homo parens; isque duplex pater, atque mater; cum quo in hominis filij productione molienda Deum concurrere, monet Aristoteles inquiens: *e Homo hominem generat, præter hæc item cuncta mouens, tanquam omnium primum.* & alibi.* *Homo hominem generat, & Sol,* nomine Solis Deum intelligēs, vt olim * ostendimus. Deus itaque in hominis generatione concurrit cum eius parentibus ipsum generantibus, triplici concursu nuper explicato, primum quidem conseruans vtriusque tum essentiam, tum virtutem generatiuam illa essentia fultam. Insuper operationis ab illa virtute, ac essentia manantis tum primo de nihilo transcendentalem existentiam creans, tum eiusdem naturam in esse conseruans; tum ipsiusmet vniuersam actiuitatem efficientiamque gubernans ad naturalem finem sibi congruum consequendum, qui est humani fætus conceptio, & organizatio, viuificatioque per productionem animæ vegetalis, ac sensitricis, qua fætus primum est vegetans, deinde fit animal; vt edocet late *f* Philososophus: Denique Deus isti plene organizato corpori, in termino generationis opera parentum, eodem Deo gubernan-

e 12. meta. t. 24.
* 2. phys. 26.
* 1. de ort. an. hum. c. 49.
f 2. de gen. an. c. 3. 4.

ſtante patratæ, indit animæ partem rationalem, ab ſe de nihilo creatam; quam ideo recte dicit g Ariſtoteles extrinſecus aduenire fœtui, non a parentibus mediante ſemine; ſicuti de parte vegetali, & ſenſuali monuerat: quod & alibi repetit aperte ſcribens, quod h *Deus in anima lumen intellectus accendit*, animæ nempe vegetali, ſenſualique parti a parentibus ortæ, adiungens animæ partem rationalem, ex materia non eductam. Ita quidem in productione hominis concurrit Deus cum parentibus cum generantibus. Et eadem ratione proportionabiliter in alius cuiuſque ſubſtantiæ, ſiue viuentis, ſiue inanimatæ, ſiue mistæ, ſiue ſimplicis productione, Deum cum cauſis ſecundis quibuſlibet eam generantibus concurrere tum vt optimum infinita ſua bonitate conſeruando tam earum eſſentias, & virtutes, quam ipſarum operationes: tum vt omniſcium inexplicabili ſua ſapientia gubernando illarum virtutem operatricem: tum vt omnipotentem immenſa ſua poteſtate creando de nihilo ſimplicem atque tranſcendentalem exiſtentiam tam ſucceſſiuæ operationis ipſarum, quam in termino generationis illius ſubſtantiæ genitæ, ac omnino effectus producti; ſecundum formam ac rationem propriam trium concurſuum diuinorum ſuperius explicatorum.

g 2. de gen. an. c. 3.

h 3. rhet. cap. 10.

Tres iiſdem diuini concurſus elucidantur in productione accidentium tam permanentium, quam ſucceſſiuorum, ac potiſſimum humanarum actionum, tum honeſtarum, tum etiam vitioſarum. Cap. XXVIII.

QVoniam vero præter ſubſtantias, accidentia quoque producuntur a ſecundis cauſis eorum proprijs, tam permanentia, quam tranſeuntia, quorum eſſe conſiſtit in fieri, ſeu fluxu, ſucceſſioneque nuncupata; prope-

pterea Deus cum singulis istis causis concurrit, veluti prima causa cum secundis, quæ sine prima nihil omnino possunt operari, licet prima secundis ad operandum non indigeat; quod optime nouit Aristoteles, apte decernens vltima mouentia sine primo non posse mouere; primum autem mouens absque postremo posse mouere scribens: *a Vtraque igitur mouere dicimus, & primum, & vltimum mouentium; sed magis primum; illud enim mouet vltimum: sed non hoc primum: & sine primo quidem vltimum non mouebit, illud autem sine hoc*. Quæ sententia quoque veritatem habet in productione substantiæ; nam Deus ab initio sine causis vllis secundis *b* produxit cælum, & terram; terra vero non germinauit herbas, lignaque pomifera, brutas animantes terrenas, & hominem sine concursu Dei. Pariter *c actu calidum motiuum est calidi potentia (* generatiuumque natura sua consimilis calidi actu*) similiter autem & in alijs huiusmodi* coordinationibus accidentium; *& mobile quoque similiter natura, quod est potentia quale, aut quantum, aut vbi* &c. In quorum productione Deus cōcurrit cum causa secunda tum conseruans illius essentiam, potentiam operatiuam, & operationem inde manantem: tum gubernans facultatem operatricem in operatione sua promenda: tum creans e nihilo transcendentalem geniti accidentis permanentis existentiam, qua ponitur extra nihil, & extra causas suas in entium numero. Sed in productione accidentium non permanentium, quorum esse fluens & omnino successiuum est, ac, vt dicitur, in fieri, concurrit Deus cum causis eorum secundis eadem prorsus ratione, si sermo sit de motu, & operatione prodeunte ab agentibus causis secundis infra voluntatem hominis liberam collocatis, & operantibus. Verum enimvero si sermo sit de liberis actionibus ab humana voluntate pro-

a 8. phys. t. 33.
b Gen. 1.
c 8. phys. t. 31.

prouenientibus, difficilior est explicatu Dei concursus cum homine secundum liberum arbitrium agente tam prauas, quam honestas actiones. Ceterum ex rei natura contemplationem istam, & ex orthodoxis, classicisque Doctoribus lubet in præsentia tractare, sumpto principio ab actione proba: præmissoque fundamento, hominem agere semper ex libero suæ voluntatis arbitrio, neque cogi a Deo ad bene agendum; nec a Deo, Dæmoneve cogi ad male agendum; cuius principij veritatem & nos edocuit sacra pagina, & agnouit Aristoteles, & ratio suadet aperteque demonstrat ex rei natura. Nam in Ecclesiastico legitur: *d Deus ab initio constituit hominem: & reliquit illum in manu consilij sui*. Aristoteli quoque scribitur: *e Neque enim iubendo Deus imperat: sed cuius gratia prudentia est:* & alibi: *f Quin & prudentia cum morum virtute, atque hæc cum prudentia coniuncta est: siquidem prudentiæ principia ex virtutibus moralibus: rectitudo vero moralium virtutum ex prudentia existit: at hæ connexæ cum affectibus sunt, & circa compositum versantur. Virtutes vero compositi humanæ sunt: & vita igitur, quæ secundum ipsas traducitur, & felicitas* (quam g alibi dixerat esse bonam actionem) *huiusmodi erit*. Quod autem ait Aristoteles Deum imperare non iubendo, sumendum est, Dei iussionem non esse cogentem, ac inferentem violentiam; namque si Deus determinaret necessario voluntatem humanam ad bene agendum, cogeretque Paulum bene agere; nullum esset in Paulo meritum, neque bonarum actionum suarum præmium ex iustitia sperare, postulareve posset; quare non recte dixisset; *h* Apostolus: *Ego enim iam delibor, & tempus resolutionis meæ instat. Bonum certamen certaui:* (militia *i* est enim vita hominis super terram) *cursum consummaui, fidem seruaui. In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi* Domi-

d Eccli. 15. 14.
e 7 eud. c. 9 f.
f 10. ethic. c. 8.
g 1. phys. t 58.
h 2. Timot. 4. 6. 7. 8.
i Iob 7.

Dominus in illa die iustus iudex: non solum autem mihi, sed & ijs qui diligunt aduentum eius. Quamobrem ita sentiendum censeo de concursu Dei cum homine ad actiones honestas promouendas; Deum scilicet tum conseruare agentis hominis & essentiam, & voluntatem, & facultatem actiuam, & actionem inde promanantem: tum creare de nihilo transcendentalem actionis existentiam, qua functio ponitur in esse extra nihil, & extra causas suas: tum gubernare virtutem voluntatis actiuam in actione qualibet edenda: quæ quidem gubernatio respicit directionem actionis ad suum finem physicum, non autem ad finem moralem absolute, qui fere totus ab hominis electione pendet, non a Deo necessario determi-
k Eccli.15. nante; quum Deus k reliquerit hominem in manu con-
14. silij sui, quo possit libere mereri, & demereri. Siquidem actio bona potest considerari & materialiter ac omnino physice, quatenus actio est: & formaliter, siue moraliter, quatenus bona est; enimvero duos fines obtinet, physicum scilicet, atque moralem: Deus concurrit cum hominis voluntate ad actionem dirigendam materialiter in suum finem physicum, quem homo consequitur per motum naturalem, gubernatum & conseruatum a Deo; quia nequit homo, mouens vltimum, motum il-
l 8.phys lum edere sine primo mouente Deo, vt habet l Aristo-
t.31. teles. At vero dirigere proprias actiones formaliter ad finem moralem bonum, id proprium est opus electionis
m Eccli.15 humanæ, nostræque voluntatis, quæ, sicuti sacra m scri-
14. ptura docet, a Deo relicta in manu consilij sui libere bonum eligit, malumque libere reprobat; atque hinc exoritur in homine meritum, propter quod ex debito iusti-
n Gen.15 tiæ Deus illi concedit præmium, tanquam n mercedem
30.18.
o Eccli.18. actionis bonæ: *Non impediaris orare semper, & ne verearis*
22. *vsque ad mortem iustificari: quoniam merces Dei manet in*
æter-

aeternum. Deus inquam ex debito iustitiæ bonas actiones remuneratur; tum quia iustus est; iustitia namque reddens vnicuique suum, necessario supponit meritum, vbi præmium, & mercedem tribuit; meritum autem ex proprijs operantis, non ex alienis actibus contrahitur; secus enim non redderetur suum vnicuique, sed alienum præmium: tum quia sæpe se Deus obligauit in sacra pagina bonas actiones præmijs afficere, mercedeque compensare: *p Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*. & alibi, p Matt. 19.
Propheta bonis operibus *q* promittit præmium salutis a 17.
Domino; quin & ipse Deus, in Euangelio: *r Venite benedicti Patris mei: possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare* &c. & multo prius: *s Credidit Abram Deo: & reputatum est illi ad Iustitiam:* quia credidit Deo sibi promittenti magnam mercedem; nam *t Factus est sermo Domini ad Abram per visionem dicens: Noli timere Abram, ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis*. & frequentissime leguntur in sacra pagina promissiones, quibus Deus obligat se præmia dare bene facientibus, vt mercedem debitam bonis actionibus de rigore iustitiæ. Quam doctrinam orthodoxam sensit D. Augustinus, aiens; * *Præmium virtutis erit ipse, qui virtutem dedit; & qui se ipsum, quo melius & maius nihil esse potest, promisit*. &c. & mox: *Ceterum qui futuri sint pro meritis præmiorum etiam gradus bonorum atq; gloriarum, quis est idoneus cogitare, quanto magis dicere?*
Dum vero Deus conseruat & virtutem voluntatis electiuam, & actionis illi conuenientis libertatem: dumque gubernat vtramque, neutri sane vim vllam infert; sed vtramque *u* relinquit in sua naturali libertate, ac indifferentia. Secus enim, si vim Dei concursus afferret, libertatemque tolleret, non conseruaret, neque gubernaret humanam voluntatem, & actionem, quam tamen libe-

q Isai. 58. 7. & seqq. Ezechiel. 18. 7. 8. 9.
r Matt. 25. 34. 35.
s Gen. 15. 6
t ibid. 15. 1
* 22. de ciuit. c. 30.
u Eccli. 15.

x 1. de an. t. 60. & in eth. passim. ram esse, vel x Aristoteles ipse nouit. At vero Deus ad bonas actiones eliciendas physice, ac si placet etiam moraliter, auxilium sufficiens exhibet hominibus, qui nihil a semetipsis agere possunt fructuose; nam Dominus ait:

y Ioan. 15. 4.5. *y Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi maneat in vite; sic nec vos, nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites: qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum; quia sine me nihil potestis facere:* non quia Deus absolute causa sit nostrarum actionum bonarum, nos autem secundaria, Dei vim necessario sequens; at solum quia sine auxilio Dei nihil boni moliri possumus; quum tamen simus primaria & libera causa nostrarum actionum bonarum; quas vt sine Deo non possumus edere; tamen auxilium Dei non est in nobis efficax necessario de se, verum tantummodo sufficiens; quod possumus ad arbitrium in vtilitatem nostram non adhibere.

z 2 de gen. t. 58. Cogita mecum, & cum z Aristotele generationes animalium, plantarum, & fructuum fieri Sole accedente; quum tamen istę sint propriæ stirpium, & animalium operationes, non Solis, nisi vt agentis auxilium exhibentis, sine quo nec animalia, neque stirpes generarent; quum generant per propriam naturam, & virtutem, consimilem sibi naturam, auxiliante Sole. Sic actiones bonæ tanquam a sui causa propria pendent a bona voluntate, licet non sine auxilio Dei, quo non abutitur bona voluntas; & iccirco bene agendo meretur homo præmium a Deo, mercedem bonorum operum a Iustitia Diuina; qui libere tales actiones ediderit, quas poterat ad arbitrium non edere, seque ad malas conuertere. Sed ad malas actiones edendas concurrit quidem Deus cum homine vitioso, prauaque voluntate, quoad productionem bonorum, quæ sunt materialiter atque physice malis ac vitiosis actionibus implexa (nam vt ait D. Augustinus,

Etiam

a *Etiam malum, quatenus est, bonum est*; etenim ens, & bo- a Io. 6.47.
num conuertuntur inter transcendentia) non autem 8.
quoad productionem formalitatis culpæ ; quæ tota sine
Dei concursu, & auxilio pendet ex hominis electione,
tanquam effectus prauæ voluntatis tantummodo. Nimirum
Deus cum impio peccante concurrit, tum conseruans
illius essentiam, naturam, & voluntatem in sui libertate
naturali eligendi tam bona, quam mala : conseruans
item actionem illam liberam, & gubernans, atque dirigens
ad finem suum physicum; quo nomine dicitur a
Propheta, b *Si erit malum in ciuitate, quod Dominus non fecerit?* b Amos 3.
certe non est malum in ciuitate, quod non faciat 6.
Dominus hac ratione. At ad electionem mali formaliter,
nullo pacto concurrit Deus cum improbo, nec illi ad malitiam
edendam auxiliatur : verum electio praua formaliter
vnius voluntatis deprauatæ functio est ; quæ vitiosa
voluntas absque Dei concursu & auxilio determinat
actionem suam ad finem moralem malum ; contradicente,
renuenteque Deo, qui semper electiones prauas detestatur,
ac ab eis procul arcere studet homines commi-
natione pœnarum : c *De ligno autem scientiæ boni, & mali* c Gen. 2. 17
*ne comedas : in quacumque enim die comederis ex eo, morte
morieris*. Ast homo libertate suæ voluntatis abutens, Dei
præceptum irritum fecit, contra Dei voluntatem peccans,
vt & eius successores postea sæpissime, non concurrente,
nec auxiliante, sed frustra vel repugnante Deo, sic
in persona Filij dicente : d *Ierusalem, Ierusalem, quæ occidis* d Matt. 23.
Prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt : quoties volui 37. 38. 39.
*congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos
suos sub alas, & noluisti? Ecce relinquetur domus vestra deserta.
Dico enim vobis, non me videbitis amodo donec dicatis,
Benedictus qui venit in nomine Domini*. Sic apud Salomonem,
e *Vocaui, & renuistis: extendi manum meam, & non fuit* e Prou. 1.
24.

f cap. 65. 12. *qui aspiceret*. & apud Isaiam, *f Vocaui, & non respondistis: locutus sum, & non audistis: & faciebatis malum in oculis* g cap. 66. 4. *meis; & quæ nolui, elegistis*. & infra: *g Vocaui, & non erat qui responderet: locutus sum, & non audierunt*. & apud Iere- h cap. 7. 13 miam: *h Locutus sum ad vos mane consurgens, & loquens, & non audistis: & vocaui vos, & non respondistis*. Quare cum improbis ad mali formalem electionem non concurrit Deus vllo modo, nec eis ad actum criminis eliciendum auxiliatur, sed e diametro reclamat, & comminatur pœnas delicti. Sed tamen ab ortu naturæ datam homini libertatem arbitrij, nunquam illi tollere vult Deus. Homo porro contra præcepta Dei, transgrediens legem diuinam, & naturæ, sine concursu Dei ad culpam ex arbitrio solo suo deuians, demeritum a semetipso contrahit, quo se facit obnoxium pœnę, a Diuina Iustitia inferendæ, nullum malum impunitum, nullumque bonum * Aug. 10. 20. 153. d. * irremuneratum relinquente, sed suum vnicuique tribuente. Secus enim si Deus ad culpam perpetrandam cum impio formaliter concurreret, peccantique conferret auxilium ad crimen, iniuste puniret in alio labem, ad quam perpetrandam ipse concurrisset, auxiliumque tulisset. Verum enimvero prauæ actionis finis moralis a sola hominis electione pendet, absque Dei concursu; bonæ vero actionis finis moralis ab hominis electione pendet quidem primario, sed non sine concursu, & sufficienti auxilio Dei, libertatem tamen electionis humanæ non vitiantis, neque tollentis: Quod vtrumque do- i Oseæ 13. cet Prophetæ vocibus ipse Deus, inquiens: *i Perditio tua Israel: tantummodo in me auxilium tuum*. Quia peccator non potest perditionem suam in Deum, veluti criminum suorum autorem refundere; quum ipse solus peccauerit, absque Dei concursu malam actionem eligens; vnde perditio sua est vniuersa: Deus vero tantummodo con-

cur-

currit ad actiones bonas eligendas, & eliciendas, conferens auxilium sufficiens tum impio resipiscenti, ac resurgenti a culpa: tum iusto proficienti in operibus iustitiæ, quæ facit ipsemet ex libera voluntatis electione. Licet autem, vt ait k Apostolus, ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, non potuerimus mereri Dominicam incarnationem; sed hoc altissimum mysterium fuit purum munus infinitæ misericordiæ Dei, benignitatisque diuinæ solius: nihilominus ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos cum auxilio, concursuque Dei, meremur coronam gloriæ, præmiumque salutis, vt idem Apostolus l alibi testatur, a nobis antea citatus. Ad actionem vero prauam eliciendam formaliter; adeoque ad ideam & formalitatem malę actionis minime concurrit vllo modo cooperans homini praue agenti; solummodo permittit improbum agere ad arbitrium voluntatis, cui semel libertatem concessit eam non retractaturus: de qua permissione recte D. Augustinus ait: m *Iudicat etiam* Deus, *non solum vniuersaliter de genere Dæmonum atque hominum, vt miseri sint propter primorum meritum peccatorum; sed etiam de singulorum operibus proprijs, quæ gerunt arbitrio voluntatis. Nam & Dæmones ne torqueantur*, n *precantur: nec vtique iniuste vel parcitur eis: vel pro sua quique improbitate torquentur. Et homines plerumque aperte, plerumque occulte luunt pro suis factis diuinitus pœnas, siue in hac vita, siue post mortem: Quamuis nullus hominum agat recte, nisi diuino adiuuetur auxilio: nullus Dæmonum, aut hominum agat inique, nisi diuino eodemque iustissimo Dei iudicio permittatur. Sicut enim ait* o *Apostolus, Non est iniquitas apud Deum: & sicut ipse* p *alibi dicit, Inscrutabilia sunt iudicia Dei, & inuestigabiles viæ eius*. Permittere vero malas actiones non est illas agentibus cooperari, nec auxiliari, nec etiam consentire; sed tantum eas non impedire, nec prohibere;

k ad Tit. 3. 5.

l 2. Tim. 4. 6. 7. 8.

m 19. de ciuit. c. 1.

n Matth 8.

o Rom. 9.

p Rom. 11.

re; quod fieri non posset nisi cum destructione libertatis agentium; quam Deus vult inuiolatam, sartam tectamque seruari. Quare superiora non sine fructu repetentes in re difficillima & ad salutem summe necessaria, quum actio mala spectari valeat, & vt actio, secundum ideam actionis, ac vt dicebamus, materialiter: & vt mala, secundum formalitatem culpæ; concurrit sane Deus cum homine praue agente, tum conseruans illius voluntatem in sua natura libera, voluntatisque vim electiuam indifferentem & arbitrariam: tum vtramque gubernans, atque dirigens ad finem physicum actionis propriæ, quatenus actio naturaliter est: tum e nihilo creans in essentia naturaque actionis illius existentiam, qua constituitur extra nihil, & extra causas suas in entium transcendentalium numero. Verum actionis illius malitiam, prauitatisve formam, quæ deflexio est a rectitudine, vel ad dexteram excessus, vel ad sinistram defectus, totam efficit homo malus, Deo permittente quidem, sed illi contra prudentiæ iustitiæque rectam rationem agenti non cooperante, nec auxilium vllum præbente, neque consentiente, sed reclamante, per Mosen *q* ita: *Custodite igitur, & facite, quæ præcepit Dominus Deus vobis: non declinabitis, neque ad dexteram, neque ad sinistram. Sed per viam, quam præcepit Dominus Deus vester, ambulabitis: vt viuatis, & bene sit vobis, & protelentur dies in terra possessionis vestræ:* Nam & Deus recta *r* linea semper incedens, ab ea rectitudine nunquam declinat, neque ad dexteram excessus, neque ad sinistram defectus; vt absque Dei concursu prauis in actionibus homines efficiunt, obseruatu Philosophi scribentis: *s* *Quæ igitur electio possessioque natura bonorum vel corporis, vel amicorum, vel reliquorum, considerare maxime Deum facit, præstantissima est, atque terminus est pulcherrimus:* (nimirum hæc electio bonorum pru-

q Deuter. 5. 32. 33.

r Arist. de mund. c. 7. f.

s 7. eudem. c. 19. f.

prudens est, rectaque cum ratione) *qua vero vel ob defectum, vel ob excessum, considerare, colereque Deum permisit minime, ea est pessima*; nempe declinans a rectitudine, qua Deus semper incedit; qui propterea non cooperatur homini malo, nec vllatenus ad eius actionem prauam producendam formaliter actiue concurrit, illive consentit; sed nunquam non reclamat; vnde culpa penes Deum non est vlla, sed tota semper penes hominem improbum in actione sua nequam. Quæ vero prauitati quomodocumque materialiter implexa sunt tum physica de genere prædicamentalis essentiæ, tum etiam transcendentia; quum entia sint, & bona, & vera; (conuertuntur enim ad inuicem, bonum, verum, & ens) a Deo sunt, qui est per essentiam ipsum bonum, & esse, & veritas: transcendentia quidem simpliciter & absolute per actũ creationis e nihilo; quum a secundis causis omnino conclusis in genere prædicamentalis essentię, nequeant attingi: sed in genere prædicamentali conclusæ naturæ proueniunt a Deo cooperante causis inferioribus, concurrenteque cum eis ad agendum, vt antea satis explicatum est.

Hæc ea sunt, optime vir, quæ de difficillimo tuo Quæsito, summos inter Theologos nunquam non agitato, respondenda venerunt ad calamum. Tu ea boni consulas, ac me ames velim. Vale. Dabam Patauij e meo Scalumnæ Museo iv. Cal. Ianuarij M DC IIL.

De salute animæ Aristotelis Quæsitum. *Cap. XXIX.*

Doctissimo Viro Fortunio Liceto
Marius Mazzolenus. S.D.

EQuidem legi tuos libros de Pietate Aristotelis erga Deum & homines, Doctiss. Vir, magna cum oblectatione,

tione, ac tantumnon illis assensum præbui. Sed tamen adhuc dubia mens est de tanti Philosophi salute, quem Ethnicum Historici fatentur non egisse vitam puris Naturæ legibus, at multis criminibus maculatam. Neque constat eum habuisse reuelationem veræ Fidei Redemptoris; sine qua videtur impossibile placere Deo. Neque D. Thomas, qui semper maximi fecit Aristotelem, id reticuisset, si saluam eius animam inter beatos viuere vel suspicatus esset. Obsecro, si placet, alia iam dictis in eo volumine nunc adde, quo tuam opinionem amplectar omnino. Vale ac me ama.

Vnde maxime salus Aristotelis innotescat in dictis orthodoxorum. Cap. XXX.

Cl. Viro Mario Mazzoleno Phil. pub. professori pri. subsellij extraord. Pat. Scholæ Fortunius Licetus B.A.

VIx mihi suppetunt vlla, Cl. Vir, quæ de salute animę Aristotelis adiungere valeam allatis in meo volumine De Pietate illius Philosophi promulgato. Nonnulla tamen addam, vt in præsentia tibi morem geram. Ethnicus vere natus, & educatus est inter Gentiles Aristoteles; attamen hoc argumentum tanti non est, vt eum necessario procul a loco salutis inter damnatos cruciatum habere debeamus: primum quia Gentilis etiam ortus & altus Vitam omnem suam egit Iobus; qui tamen Deo dilectus inter Sanctos & Beatos ab Ecclesia colitur. Deinde quia plane vidimus *a* ex Rabb. Mose Sem Tob. libro Morum, Aristotelem in fine vitæ suæ doctum ab Hebręo Magistro, Legem eo tempore veram & sanctam complexum coluisse. Deinde quia Pererius obseruat,

a1. de Piet. Arist. c. 13.

Theo-

b *Theologos docere, ante aduentum Christi Gentiles per solam obseruationem præceptorum moralium, & legis naturalis, cum lumine aliquo fidei diuinæ, & supernaturali auxilio Dei, potuisse æternam salutem consequi*. Philosophum autem Aristotelem obseruasse præcepta moralia, quæ tot ipse libris ad Nicomachum, & Eudemum tam diserte probeque mortalibus obseruanda proposuit, quis iure negabit? Legem etiam naturalem, quam in sua morali philosophia tam sancte coluit, & excoluit, quis eum neglexisse merito dixerit? obtrectatores inuidos habuit, apud quos eius vita culpatur immerito. Quis non agnoscit, ei lumen fidei diuinæ magnum affulxisse, quum totam fere Theologiam consentaneam placitis Aristotelis esse passim ostendant in suis operibus Theologicis D. Bonauentura, D. Thomas, Alensis, Scotus, & alij plures orthodoxi? Quis inficias iuerit, Aristoteli defuisse supernaturale quoddam auxilium Dei ad salutem, quod omnibus Gentilibus datum esse testatur aperte D. Augustinus? ait enim c De Filio Dei: cuius gratiam ad salutem nunquam defuisse demonstrat vllis hominibus, etiam Gentilibus: *Itaque ab exordio generis humani, quicunque in eum crediderunt, cumque vtcunque intellexerunt, & secundum eius præcepta, & iuste vixerunt; quandolibet, & vbilibet fuerint, per eum proculdubio salui facti sunt*. & mox: *Ab initio generis humani, alias occultius, alias euidentius, sicut congruere temporibus diuinitus visum est, nec prophetari destitit, nec qui in eum crederent defecerunt, ab Adam vsque ad Moysen, & in ipso populo Israel, qui speciali quodam mysterio gens prophetica fuit, & in alijs gentibus antequam venisset in carne*. & alibi: d *Homines autem quosdam non terrena, sed cælesti societate ad veros Israelitas supernæ ciues patriæ pertinentes etiam in alijs gentibus fuisse, negare non possunt, facillime conuincuntur de sancto & mirabile Iob, qui*

b in Genes. 1. cap. 11. ver. 11. nu. 174.

c to. 2. epist. 49 q. 2.

d 18. de ciuit. c. 47.

nec indigena, nec proselytus, idest aduena populi Israel fuit; sed ex gente Idumæa genus ducens, ibidem mortuus est, qui diuino sit laudatus eloquio, vt quod ad Iustitiam pietatemque attinet, nullus ei homo suorum temporum coæquetur. Denique vero de salute Aristotelis non dubitasse videtur S. Paulinus, qui scribit ad amicum literatissimum Iouium:
e epist. paran. *e Esto Peripateticus Deo, Pythagoreus mundo.* Quare iam nullus ambigas de summi Philosophi salute, conferens illa cum alijs a me dudum de illius pietate prolatis. Vale, & me ama. Dabam Patauij e meo Scalumnæ Museo.

Qua ratione Diabolus dicatur homicida fuisse ab initio, nec in veritate stetisse, quia mendax est, & pater eius.
Cap. XXXI.

Doctissimo Viro Fortunio Liceto
Marius Mazzolenus S.D.

Ambigebamus amici Theologi, propter Autorum dissensiones de vero sensu, quo Dominus Hebræis
a Io. 8. 44. mores diabolicos exprobrare visus est, inquiens, *a Vos ex patre diabolo estis: & desideria patris vestri vultis facere. Ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit; quia non est veritas in eo: quum loquitur mendacium ex proprijs loquitur; quia mendax est, & pater eius.* Quomodo namque sunt impij ex patre diabolo, quos diabolus non genuit, neque creauit? Quomodo quum vnus Deus sit omnium creator, & pater; aliquorum pater diabolus esse potest? Sed ab initio, nondum conditis hominibus, diabolus in veritate non stetit, cadens ex innocentia originali; quomodo tunc homicida erat, anteaquam primus homo crearetur? Quomodo mendax quum sit diabolus, mendax est pater eius, qui Deus est, & summa veri-

ri-

ritas? Denique quomodo diabolus in veritate non ſtetit; quum in Deo cuncta ſint, qui eſt ipſa veritas? In Deo ſiquidem omnia ſtant velut in omnium cauſa creatrice, atque conſeruatrice, ſine quo conſeruante vel ipſe diabolus rediret ad nihilum, ex quo primum a Deo creatus eſt. Hos nodos vt nobis explicares optant vna mecum ſocij, qui prouinciam ad te proponendi Quæſita mihi tradere voluerunt; quem ſciunt alias frequenter humanitatis tuæ fructus adipiſci ſolitum. Obſecro ne permittas, quam in tua benignitate fiduciam habemus, fruſtrari. Sic Deus Opt. Max. omnia tua geſta felicia, fauſta, & fortunata reddat. Vale. Dat. Patauij e domo mea S. Danielis Cal. Ianuarij M DC IL.

De Cacodæmone homicida ab initio: mendaci: & in veritate non ſtante. Reſp. Liceti. Cap. XXXII.

Clariſs. Theologo Mario Mazzoleno, Philoſophiæ extraord. Interpr. primo in Pat. Liceo Fortunius Licetus B. A.

ORaculum Domini prolatum, multis myſterijs plenum, ad ſui plenam explicationem multo peritiorem in arcanis Theologiæ mentem requirit, amice vir, quam mea ſit in Philoſophicis & Medicis contemplationibus magis educata, quam in Theologicis: Ne tamen videar aſpernari tua vota, de propoſitis quid in mentem venerit, literis ingenue conſignabo. Profecto Patris nomen & ratio multiplex eſt; Deus quidem vt omnium naturarum conditor atque creator, communis Pater eſt vniuerſæ naturæ rerum ſingularum: Qua ratione diabolus, qui non genuit, neque creauit impij naturam, nullus vere Pater appellari poteſt ſecundum eſſentiam,

atque naturam. Sed quia dæmon concurrit ad voluntatem humanam deprauandam, quæ deprauatio constituit hominem impium; ideo dæmon est * pater impiorum formaliter, quia in illis formalitatem impietatis produxit. Quin & filij sunt plurimum ex natura, sed aliquando ex lege, qui dicuntur adoptiui. Sunt quidem omnes homines ratione naturæ creatæ filij Dei creatoris; qui Pater est omnium; at ex lege peccati fiunt impij adoptiui filij dæmonis. Et hoc sensu dicit Dominus impijs Hebræis: *a Vos ex patre diabolo estis: & desideria patris vestri vultis facere.* Quæ quidem desideria dæmonis ab initio fuit occidendi simpliciter hominem, ob superbiam & inuidiam; *vnde recte dicitur: ille homicida erat a principio, & in veritate non stetit.* Quibus duo mysteria continentur; alterum est loquendo de *Initio* complectente totam primam hebdomadam creationis, in qua præter alia cuncta creati sunt a Deo primi parentes, quibus creatis legem dedit, ne vescerentur de fructu scientiæ boni & mali; cuius præcepti transgressionem vlturum se dixit illis pœna mortis, *b Tulit ergo Dominus Deus hominem, & posuit eum in Paradiso voluptatis: vt operaretur, & custodiret illum. Præcepitque ei dicens: ex omni ligno Paradisi comede. De ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas: in quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Diabolus in serpentem transformatus in ista diuini præcepti veritate non stetit, sed mendacij pater adulterauit diuinam istam legem seducens Euam, dicensque, *c Nequaquam moriemini. Scit enim Deus, quod in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri: & eritis sicut Dij, scientes bonum & malum.* Quo malo suam peccans homo miser in pœnam mortis incidit, cui dixit Deus, *d Quia comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes: maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis die-*

* Ambros. l. 4. in Luc.

a Ioa. 8. 44.

b Gen. 2. 15. 16. 17.

c Gen. 3. 4. 5.

d Gen. 3. 17. 18. 19.

diebus vitæ tuæ. Spinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbam terræ. In sudore vultus tui vesceris pane, donec reuertaris in terram, de qua sumptus es: quia puluis es, & in puluerem reuerteris. Et ita diabolus ab initio humanæ naturæ fuit homicida; quia, vt ait D. Augustinus, *e Non gladio armatus, non ferro accinctus ad hominem venit; verbum malum seminauit, & occidit.* & alibi, *f Quærimus vnde diabolus fuerit homicida ab initio, & inuenimus quod primum hominem occiderit, non gladium stringendo, aut aliquam vim corporaliter infligendo; sed persuadendo peccatum, & a Paradiso felicitatis deijciendo.* Alterum maius mysterium est, quod ab initio creationis naturæ spiritualis: Angelorum primus ille Lucifer, præmonstratum sibi nasciturum in humana carne, de Virgine sumenda, filium Dei, noluit adorare Dominum suum, contra præscriptum diuinum, a D. Paulo relatum, *g Et quum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit:* h *Et adorent eum omnes angeli eius.* At cum Lucifero multi proterui declinantes ab isto præcepto propter superbiam in errorem & mendacium prolapsi fuere. Quod & Simeon prophetauit, Christum recens ortum in vlnis habens, *i Ecce positus est hic in ruinam, & resurrectionem multorum in Israel, & in signum cui contradicetur* in omni populo tam humano, quam Angelico. Qui ab initio suæ creationis coniurans contra Christum præuisum, & coniurationem postea perficiens in tempore, ministerio Iudæ proditoris, & Hebræorum, crucifixit, necique tradidit Dominum: proindeque vere dicitur homicida diabolus extitisse ab initio ante secula: quoniam vel a primo momento sui criminis exoptauit Christum interficere; sicuti, *k qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mæchatus est in corde suo.* Nam angelus ille malus, qui draco & diabolus effectus est ob culpam, ab initio voluit, ante

e tract. 42.

f 2. contr. lit. Petili. c. 23.

g Hebr. 1. 6

h Ps. 96. 8

i Luc. 2. 34

k Matth. 5. 28.

ante mundi corporei creationem, Filium Virginis occi-
l Apoc. 12. 1. & seqq. dere *l* Ioanne scribente: *Et signum magnum apparuit in cælo:* ab initio creationis præmonstrante Deo statim creatis Angelis mysterium incarnationis Filij sui de Virgine Matre: *Mulier amicta Sole* diuinitatis, & supernaturalis
m Luc. 1. pulchritudinis, qua fuit *m* gratia plena, secum habens Dominum: cui virtus Altissimi obumbratura erat, & in quam Spiritus-Sanctus superuenturus: adeoque diuino Sole vestitam viderunt Angeli super omnes suos choros exaltatam Altissimo Deo proximam. *Et Luna sub pedibus eius:* nempe substantiam Angelicam, natura sua variabilem, atque mutabilem a lumine plenæ innocentiæ; quæ non omnino permanens in gratia, frustra
n Genes. 3. 15. calcaneo diuinæ mulieris *n* insidiatur, conterentis caput angeli rebellis. *Et in capite eius corona stellarum duodecim:* hoc est omnium virtutum & gratiarum cælestium quia
o de num. myst. sign. Bongo *o* numerus duodenarius est plenæ consummatæque virtutis index: atque stellæ perfectiones cælestes indicant, vt puta cæli partes perfectiores. Vereque nouem Angelorum Chori Dei Matrem venerantur suam Reginam, cui coronam laudis perpetuo texunt in Empyreo, vbi tres etiam Diuinæ Personæ coronant eam Reginam Matrem, Filiam, & Sponsam Regis regum, & Domini dominantium. Quin & in terris post Filij resurrectionem Virgo Mater in Ecclesia duodecim Apostolis veluti stellis coronabatur, micantibus in speciem ignitarum linguarum, super eorum capita stantium, assidentibus Reginæ suæ. *Et in vtero habens* Christum Dei Filium, *clamabat parturiens*, canticum illud grauida con-
p Luc. 1. 47 cinens *p* MAGNIFICAT in Dei laudem: *Et cruciabatur vt pariat:* angebatur animo vel cupiens quantocyus videre corporeis oculis, quem semper mente contemplabatur: vlnis amplecti, & vicissim osculari, quem in vtero

ro

ro gestabat abscōditum. Vel etiam cruciabatur vt pariat, cogitans in quantas ærumnas Filium Dei parere deberet ad paupertatem, miserias mortalis vitæ, simul & ad passionem & mortem crudelissimam. *Et visum est aliud signum in cælo*, post decretam incarnationem Filij Dei, qui fuit primogenitus *r* ante omnem creaturam, adeoque ante Angelos: *Et ecce draco magnus*, in quem degenerauit primus ac potentissimus Angelorum, *rufus* ob iracundiam quod sibi præferretur in dignitate nasciturus Filius Virginis: *habens capita septem*, in voluntate sua scilicet septem peccata capitalia, *& cornua decem*, quibus nitebatur diruere decem præcepta legis: *& in capitibus suis diademata septem*, quibus per peccata mortalia regnabat in prauorum voluntate. *Et cauda eius* malæ persuasionis ne paterentur subijci homini Filio Virginis, consentientem sibi *trahebat tertiam partem stellarum cæli*, maximum adeo numerum Angelorum antea creatorum in cælo: *& misit eas in terram* e cælo secum præcipitatas a Deo per Michaelem Archangelum, qui cum plurimis alijs in fide veritatis stetit inuictus. *Et draco stetit ante mulierem, quæ erat paritura*, pertinaciter obstinatus obsistendi Deo post assumptionem humanæ carnis: *vt quum peperisset, filium eius deuoraret*, perderetque penitus, cui subiectus esse nolebat. *Et peperit filium masculum*, potentissimum, *qui recturus erat omnes gentes in virga ferrea*: iuxta illud Psalmi: *f Dominus dixit ad me: filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula a me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam: & possessionem tuam terminos terræ. Et reges eos in virga ferrea.* Hinc timens, & inuidens draco magnus, stetit ante mulierem, vt deuoraret filium eius. *Et raptus est filius eius ad Deum & ad thronum eius*: admirabiliter per vnionem hypostaticam comunctа humanitate, a muliere desumpta, Diuinitati Filij Dei. *Et mulier fugit in solitudinem*,

r Eccli. 24. 5.

f Psal. 2. 7. 8.

Deo regi cunctorum obedire subditique prorsus in æternum esse volumus. *Et potestas Christi eius*; cui Homini
a Matth. 28.18. facto Deus dedit omnem *a* potestatem in cælo, & in terra super omnes creaturas. *Quia proiectus est* de cælo in terras diabolus *accusator fratrum nostrorum* tam hominum, quos in Christo revereri noluit, quam Angelorum, quos impiæ suæ voluntati non adhærentes coarguebat incassum, *ante conspectum Dei nostri* Christi *die ac nocte*, nempe *die* diuinitatis eius, quam in humanitate non venerabatur: *& nocte* humanitatis eiusdem velantis diuinitatem, hominem Deum colere recusans, non reueritus Dei præsentiam. *Et ipsi* fratres nostri, tam boni Angeli, quam homines iusti, vicerunt eum *propter sanguinem Agni, & propter Verbum testimonij sui.* Angeli quidem, propter Verbum testimonij sui quod crediderunt Carnem factum iri, & hominem factum adorare constituerunt in Dominum: Homines vero, propter sanguinem eius innocentis agni offerendum Deo Patri ad eorum redemptionem, atque salutem: *& ipsi* mortales homines *non dilexerunt animas suas vsque ad mortem*, negligentes in mundo viuere propter confessionem diuinitatis Christi. *Et propterea lætamini cæli*, qui purgati fuistis Angelis præuaricatoribus, *& qui habitatis in eis* Angeli boni, qui vicistis malos, & eos de cælo pepulistis, & in eorum locum animas hominum piorum habituri estis conseruas Deo, sanguine Christi redemptas, & meritum sibi acquirentes eo perueniendi ad vestram societatem beatam. Itaque peccatum Angelorum fuit, quia noluerunt adorare Deum, cui Lucifer æqualem se facere præsumebat: consimile peccatum fuit hominum primorum,
b Gen. 3.5. 22. dum contempserunt obedire *b* præcepto diuino, sperantes esu vetiti pomi sicuti Deos euadere, quasique Deos humanatos; quod ipse Deus illis miseris ex peccato statim

tim

tim exprobrauit, inquiens: *c Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est, sciens bonum, & malum:* nam solus Dei Filius assumpta carne per experientiam sciuit bonum, & malum pœnæ, simul cum humanitate sumens humanas miserias: & Adam cum vxore post patratum facinus, factus est itidem per experientiam sciens bonum innocentiæ, deliciarum, & voluptatis amissæ, simul & malum nuditatis, & aliarum ærumnarum corporalium, ad quas eiectus e paradiso voluptatis a Deo condemnatus est: sicut ob consimile crimen se Deo æquiparandi Lucifer eiectus est e cælo beatitudinis ad æternas inferni miserias; quod Angelus a nullo deceptus, at propria mala voluntate contra Deum peccauerit; homo deceptus a diabolo deliquerit; vnde redemptioni suæ locum homo reliquit apud infinitam Dei misericordiam: Angelus pœnitere nescius æternæ Dei Iustitiæ plectendus in æternum fuerit. Sed vterque pœnam transgressionis ex lege sibi meruit. Quod ex D. Bernardo Georgius *d* strictim, *Lex nanque data fuit Angelis, vt adorarent Dei primogenitum: Lex data fuit homini, ne comederet, id est ne æmularetur lignum scientiæ boni & mali, quod Christus est, vt supra latius explicauimus. Sed vterque transgressus est præceptum: ille non reuerendo Dei præcipuum Filium: hic æmulando eius gradum, ipsi particulariter interdictum. Huc conueniunt nonnulli sapientes, Bernardus præcipue, qui Dei contemplatione edoctus, dum exponit illud Ionæ:* Propter me venit hæc tempestas: *inquit: Verbum & Filij dicentis: Propter me venit tempestas hæc in Angelis, & primis parentibus: In illis, quia nolebant eum in Dominum suscipere: in istis, quia æmulabantur sapientiam, vel gradum ipsius Christi: Quod isti fecerunt suasu illius, qui primo præuaricatus est: Qui casum hominis procurauit, vt socios haberet contumeliæ, & pœnarum: & vt hominem abduceret ab illa felicitate, quam ipse*

c Gen. 3. 22

d de harm. mund. to. 3 c. 3. f.

tione, ac tantum non illis assensum præbui. Sed tamen adhuc dubia mens est de tanti Philosophi salute, quem Ethnicum Historici fatentur non egisse vitam puris Naturæ legibus, at multis criminibus maculatam. Neque constat eum habuisse reuelationem veræ Fidei Redemptoris; sine qua videtur impossibile placere Deo. Neque D. Thomas, qui semper maximi fecit Aristotelem, id reticuisset, si saluam eius animam inter beatos viuere vel suspicatus esset. Obsecro, si placet, alia iam dictis in eo volumine nunc adde, quo tuam opinionem amplectar omnino. Vale ac me ama.

Vnde maxime salus Aristotelis innotescat in dictis orthodoxorum. Cap. XXX.

Cl. Viro Mario Mazzoleno Phil. pub. professori pri. subsellij extraord. Pat. Scholæ
Fortunius Licetus B. A.

VIx mihi suppetunt vlla, Cl. Vir, quæ de salute animę Aristotelis adiungere valeam allatis in meo volumine De Pietate illius Philosophi promulgato. Nonnulla tamen addam, vt in præsentia tibi morem geram. Ethnicus vere natus, & educatus est inter Gentiles Aristoteles; attamen hoc argumentum tanti non est, vt eum necessario procul a loco salutis inter damnatos cruciatum habere debeamus: primum quia Gentilis etiam ortus & altus Vitam omnem suam egit Iobus; qui tamen Deo dilectus inter Sanctos & Beatos ab Ecclesia colitur. Deinde quia plane vidimus *a* ex Rabb. Mose Sem Tob. libro Morum, Aristotelem in fine vitæ suæ doctum ab Hebręo Magistro, Legem eo tempore veram & sanctam complexum coluisse. Deinde quia Pererius obseruat *b*

a 1. de Pier. Arist. c. 13.

b Theologos docere, ante aduentum Christi Gentiles per solam b in Genes. 1. cap. 11. ver. 11. nu. 174.
obseruationem præceptorum moralium, & legis naturalis, cum lumine aliquo fidei diuinæ, & supernaturali auxilio Dei, potuisse æternam salutem consequi. Philosophum autem Aristotelem obseruasse præcepta moralia, quæ tot ipse libris ad Nicomachum, & Eudemum tam diserte probeque mortalibus obseruanda proposuit, quis iure negabit? Legem etiam naturalem, quam in sua morali philosophia tam sancte coluit, & excoluit, quis eum neglexisse merito dixerit? obtrectatores inuidos habuit, apud quos eiūs vita culpatur immerito. Quis non agnoscit, ei lumen fidei diuinæ magnum affulxisse, quum totam fere Theologiam consentaneam placitis Aristotelis esse passim ostendant in suis operibus Theologicis D. Bonauentura, D. Thomas, Alensis, Scotus, & alij plures orthodoxi? Quis inficias iuerit, Aristoteli defuisse supernaturale quoddam auxilium Dei ad salutem, quod omnibus Gentilibus datum esse testatur aperte D. Augustinus? ait enim *c* De Filio Dei: cuius gratiam ad salutem nunquam defuisse demonstrat vllis hominibus, etiam Gentilibus: *Itaque ab exordio generis humani, quicunque in eum crediderunt, eumque vtcunque intellexerunt, & secundum eius præcepta, & iuste vixerunt; quandolibet, & vbilibet fuerint, per eum proculdubio salui facti sunt*. & mox: *Ab initio generis humani, alias occultius, alias euidentius, sicut congruere temporibus diuinitus visum est, nec prophetari destitit, nec qui in eum crederent defecerunt, ab Adam vsque ad Moysen, & in ipso populo Israel, qui speciali quodam mysterio gens prophetica fuit, & in alijs gentibus antequam venisset in carne*. & alibi: *d Homines autem quosdam non terrena, sed cælesti societate ad veros Israelitas supernæ ciues patriæ pertinentes etiam in alijs gentibus fuisse, negare non possunt, facillime conuincuntur de sancto & mirabile Iob, qui*

c to. 2. epist. 49 q. 2.

d 18. de ciuit. c. 47.

nec indigena, nec proselytus, idest aduena populi Israel fuit; sed ex gente Idumæa genus ducens, ibidem mortuus est, qui diuino sit laudatus eloquio, vt quod ad Iustitiam pietatemque attinet, nullus ei homo suorum temporum coæquetur. Denique vero de salute Aristotelis non dubitasse videtur S.Paulinus, qui scribit ad amicum literatissimum Iouium:
e epist. pa- zan. *e Esto Peripateticus Deo, Pythagoreus mundo.* Quare iam nullus ambigas de summi Philosophi salute, conferens illa cum alijs a me dudum de illius pietate prolatis. Vale, & me ama. Dabam Patauij e meo Scalumnæ Museo.

Qua ratione Diabolus dicatur homicida fuisse ab initio, nec in veritate stetisse, quia mendax est, & pater eius.
Cap. XXXI.

Doctissimo Viro Fortunio Liceto
Marius Mazzolenus S.D.

AMbigebamus amici Theologi, propter Autorum dissensiones de vero sensu, quo Dominus Hebræis
a Io. 8. 44. mores diabolicos exprobrare visus est, inquiens, *a Vos ex patre diabolo estis: & desideria patris vestri vultis facere. Ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit; quia non est veritas in eo: quum loquitur mendacium ex proprijs loquitur; quia mendax est, & pater eius.* Quomodo namque sunt impij ex patre diabolo, quos diabolus non genuit, neque creauit? Quomodo quum vnus Deus sit omnium creator, & pater; aliquorum pater diabolus esse potest? Sed ab initio, nondum conditis hominibus, diabolus in veritate non stetit, cadens ex innocentia originali; quomodo tunc homicida erat, anteaquam primus homo crearetur? Quomodo mendax quum sit diabolus, mendax est pater eius, qui Deus est, & summa veri-

ritas? Denique quomodo diabolus in veritate non stetit, quum in Deo cuncta sint, qui est ipsa veritas? In Deo siquidem omnia stant velut in omnium causa creatrice, atque conseruatrice, sine quo conseruante vel ipse diabolus rediret ad nihilum, ex quo primum a Deo creatus est. Hos nodos vt nobis explicares optant vna mecum socij, qui prouinciam ad te proponendi Quæsita mihi tradere voluerunt; quem sciunt alias frequenter humanitatis tuæ fructus adipisci solitum. Obsecro ne permittas, quam in tua benignitate fiduciam habemus, frustrari. Sic Deus Opt. Max. omnia tua gesta felicia, fausta, & fortunata reddat. Vale. Dat. Patauij e domo mea S. Danielis Cal. Ianuarij M D C I L.

De Cacodæmone homicida ab initio: mendaci: & in veritate non stante. Resp. Liceti. Cap. XXXII.

Clarifs. Theologo Mario Mazzoleno, Philosophiæ extraord. Interpr. primo in Pat. Liceo
Fortunius Licetus B.A.

ORaculum Domini prolatum, multis mysterijs plenum, ad sui plenam explicationem multo peritiorem in arcanis Theologiæ mentem requirit, amice vir, quam mea sit in Philosophicis & Medicis contemplationibus magis educata, quam in Theologicis; Ne tamen videar aspernari tua vota, de propositis quid in mentem venerit, literis ingenue consignabo. Profecto Patris nomen & ratio multiplex est; Deus quidem vt omnium naturarum conditor atque creator, communis Pater est vniuersæ naturæ rerum singularum: Qua ratione diabolus, qui non genuit, neque creauit impij naturam, nullus vere Pater appellari potest secundum essentiam,

atque naturam. Sed quia dæmon concurrit ad voluntatem humanam deprauandam, quæ deprauatio constituit hominem impium; ideo dæmon est * pater impiorum formaliter, quia in illis formalitatem impietatis produxit. Quin & filij sunt plurimum ex natura, sed aliquando ex lege, qui dicuntur adoptiui. Sunt quidem omnes homines ratione naturæ creatæ filij Dei creatoris; qui Pater est omnium; at ex lege peccati fiunt impij adoptiui filij dæmonis. Et hoc sensu dicit Dominus impijs Hebræis: *a Vos ex patre diabolo estis: & desideria patris vestri vultis facere*. Quæ quidem desideria dæmonis ab initio fuit occidendi simpliciter hominem, ob superbiam & inuidiam; *vnde recte dicitur: ille homicida erat a principio, & in veritate non stetit*. Quibus duo mysteria continentur; alterum est loquendo de *Initio* complectente totam primam hebdomadam creationis, in qua præter alia cuncta creati sunt a Deo primi parentes, quibus creatis legem dedit, ne vescerentur de fructu scientiæ boni & mali; cuius præcepti transgressionem vlturum se dixit illis pœna mortis, *b Tulit ergo Dominus Deus hominem, & posuit eum in Paradiso voluptatis: vt operaretur, & custodiret illum. Præcepitque ei dicens: ex omni ligno Paradisi comede. De ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas: in quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris*. Diabolus in serpentem transformatus in ista diuini præcepti veritate non stetit, sed mendacij pater adulterauit diuinam istam legem seducens Euam, dicensque, *c Nequaquam moriemini. Scit enim Deus, quod in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri: & eritis sicut Dij, scientes bonum & malum*. Quo malo suam peccans homo miser in pœnam mortis incidit, cui dixit Deus, *d Quia comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes: maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis die-*

* Ambros. 4. in Luc.

a Ioa. 8. 44.

b Gen. 2. 15. 16. 17.

c Gen. 3. 4. 5.

d Gen. 3. 17. 18. 19.

diebus vitæ tuæ. Spinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbam terræ. In sudore vultus tui vesceris pane, donec reuertaris in terram, de qua sumptus es: quia puluis es, & in puluerem reuerteris. Et ita diabolus ab initio humanæ naturæ fuit homicida; quia, vt ait D. Augustinus, *e Non gladio armatus, non ferro accinctus ad hominem venit; verbum malum seminauit, & occidit.* & alibi, *f Quærimus vnde diabolus fuerit homicida ab initio, & inuenimus quod primum hominem occiderit, non gladium stringendo, aut aliquam vim corporaliter infligendo; sed persuadendo peccatum, & a Paradiso felicitatis deijciendo.* Alterum maius mysterium est, quod ab initio creationis naturæ spiritualis: Angelorum primus ille Lucifer, præmonstratum sibi nasciturum in humana carne, de Virgine sumenda, filium Dei, noluit adorare Dominum suum, contra præscriptum diuinum, a D. Paulo relatum, *g Et quum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit:* h *Et adorent eum omnes angeli eius.* At cum Lucifero multi proterui declinantes ab isto præcepto propter superbiam in errorem & mendacium prolapsi fuere. Quod & Simeon prophetauit, Christum recens ortum in vlnis habens, *i Ecce positus est hic in ruinam, & resurrectionem multorum in Israel, & in signum cui contradicetur* in omni populo tam humano, quam Angelico. Qui ab initio suæ creationis coniurans contra Christum præuisum, & coniurationem postea perficiens in tempore, ministerio Iudæ proditoris, & Hebræorum, crucifixit, necique tradidit Dominum: proindeque vere dicitur homicida diabolus extitisse ab initio ante secula: quoniam vel a primo momento sui criminis exoptauit Christum interficere; sicuti, *k qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est in corde suo.* Nam angelus ille malus, qui draco & diabolus effectus est ob culpam, ab initio voluit,

e tract. 42.
f 2. contr. lit. Petili. c. 23.
g Hebr. 1. 6
h Psal. 96. 8
i Luc. 2. 34
k Matth. 5. 28.

ante

ante mundi corporei creationem, Filium Virginis occi-
l Apoc. 12. 1. & seqq. dere *l* Ioanne scribente: *Et signum magnum apparuit in cælo:* ab initio creationis præmonstrante Deo statim crea-
tis Angelis mysterium incarnationis Filij sui de Virgine
Matre: *Mulier amicta Sole* diuinitatis, & supernaturalis
m Luc. 1. pulchritudinis, qua fuit *m* gratia plena, secum habens
Dominum: cui virtus Altissimi obumbratura erat, &
in quam Spiritus-Sanctus superuenturus: adeoque di-
uino Sole vestitam viderunt Angeli super omnes suos
choros exaltatam Altissimo Deo proximam. *Et Luna
sub pedibus eius:* nempe substantiam Angelicam, natura
sua variabilem, atque mutabilem a lumine plenæ inno-
centiæ; quæ non omnino permanens in gratia, frustra
n Genes. 3. 15. calcaneo diuinæ mulieris *n* insidiatur, conterentis caput
angeli rebellis. *Et in capite eius corona stellarum duodecim:*
hoc est omnium virtutum & gratiarum cælestium quia
o de num. myst. sign. Bongo *o* numerus duodenarius est plenæ consummatæ-
que virtutis index: atque stellæ perfectiones cælestes in-
dicant, vt puta cæli partes perfectiores. Vereque no-
uem Angelorum Chori Dei Matrem venerantur suam
Reginam, cui coronam laudis perpetuo texunt in Em-
pyreo, vbi tres etiam Diuinæ Personæ coronant eam
Reginam Matrem, Filiam, & Sponsam Regis regum,
& Domini dominantium. Quin & in terris post Filij re-
surrectionem Virgo Mater in Ecclesia duodecim Apo-
stolis veluti stellis coronabatur, micantibus in speciem
ignitarum linguarum, super eorum capita stantium, assi-
dentibus Reginæ suæ. *Et in vtero habens* Christum Dei
Filium, *clamabat parturiens*, canticum illud grauida con-
p Luc. 1. 47 cinens *p* MAGNIFICAT in Dei laudem: *Et cruciaba-
tur vt pariat:* angebatur animo vel cupiens quantocyus
videre corporeis oculis, quem semper mente contempla-
batur: vlnis amplecti, & vicissim osculari, quem in vte-
ro

ro gestabat abscōditum. Vel etiam cruciabatur vt pariat, cogitans in quantas ęrumnas Filium Dei parere deberet ad paupertatem, miserias mortalis vitæ, simul & ad passionem & mortem crudelissimam. *Et visum est aliud signum in cælo*, post decretam incarnationem Filij Dei, qui fuit primogenitus *r* ante omnem creaturam, adeoque ante Angelos: *Et ecce draco magnus*, in quem degenerauit primus ac potentissimus Angelorum, *rufus* ob iracundiam quod sibi præferretur in dignitate nasciturus Filius Virginis: *habens capita septem*, in voluntate sua scilicet septem peccata capitalia, *& cornua decem*, quibus nitebatur diruere decem præcepta legis: *& in capitibus suis diademata septem*, quibus per peccata mortalia regnabat in prauorum voluntate. *Et cauda eius* malæ persuasionis ne paterentur subijci homini Filio Virginis, consentientem sibi *trahebat tertiam partem stellarum cæli*, maximum adeo numerum Angelorum antea creatorum in cælo: *& misit eas in terram* e cælo secum præcipitatas a Deo per Michaelem Archangelum, qui cum plurimis alijs in fide veritatis stetit inuictus. *Et draco stetit ante mulierem, quæ erat paritura*, pertinaciter obstinatus obsistendi Deo post assumptionem humanæ carnis: *vt quum peperisset, filium eius deuoraret*, perderetque penitus, cui subiectus esse nolebat. *Et peperit filium masculum*, potentissimum, *qui recturus erat omnes gentes in virga ferrea*: iuxta illud Psalmi: *s Dominus dixit ad me: filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula a me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam: & possessionem tuam terminos terræ. Et reges eos in virga ferrea*. Hinc timens, & inuidens draco magnus, stetit ante mulierem, vt deuoraret filium eius. *Et raptus est filius eius ad Deum & ad thronum eius*: admirabiliter per vnionem hypostaticam coniuncta humanitate, a muliere desumpta, Diuinitati Filij Dei. *Et mulier fugit in solitudinem,*

r Eccli. 24. 5.

s Psal. 2. 7. 8.

nem, nimirum in Aegyptum, in qua sola tunc erat, nec vlla prorsus Hebræorum reliquia, post antiquum exitum illinc domus Israel de populo barbaro per exsiccatum mare rubrum non vtens vlla Aegypti mala consuetudine, sed velut in solitudine solum Deo viuens: *vbi habebat locum paratum a Deo: vt ibi pascant eum diebus mille ducentis sexaginta:* qui constituunt tempus trium annorum cum dimidio circiter, quo permansit in Aegypto B. Maria cum puero Iesu, quousque vixit Herodes, qui diabolo suadente quærebat ipsum interficere. Nam quod hunc locum interpretatur Lyranus de *Christi doctrina, quam docuit tribus annis & dimidio, qui continent dies mille ducentos sexaginta:* non recipitur; quia multo pluri tempore suam doctrinam promulgauit Christus, ab anno duodecimo ætatis incipiens illam ostendere,

t cap. 2. 42. 46. 47. scribente Luca, *t Et quum factus esset annorum duodecim: Inuenerunt illum in templo sedentem in medio doctorum, audientem illos, & interrogantem eos. Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, super prudentia, & responsis eius.* Neque probabile fuerit, ab eo tempore Dominum vsque ad annum trigesimum fere, per totos annos octodecim ferme doctrinæ suæ semen in hominum animos ad eorum eruditionem in Euangelio non sparsisse, mutumque de lege sua semper siluisse; licet ab Euangelistis eius acta temporis illius interstitio non habeamus expressa. Nisi quod apud Ioannem habemus tum Domini testimo-

u cap. 18. 37. nium. *u Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati: omnis enim, qui est ex*

x Ioan. 21. 24. *veritate, audit vocem meam.* tum Euangelistæ, *x Sunt autem & alia multa, quæ fecit Iesus; quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros.* Quæ satis indicant Christum Dominum suæ doctrinæ veritatem non vltimis tantum vitæ

suæ

suæ tribus annis cum dimidio promulgasse mundo, sed multo pluribus, a duodecimo ætatis anno ad finem vitæ suæ. Quare dies mille ducenti sexaginta, qui tres annos cum dimidio complent, non ad eius doctrinæ promulgationem referendi sunt, sed ad eius morem in Aegypto, tempore infantiæ fugientis iram, & perfidiam Herodianam a diabolo suscitatam. y *Et factum est prælium magnum in cælo*, contrariantium adinuicem voluntatum Angelicarum: *Michael & Angeli eius*, Dei Filium nasciturum hominem adorantes mundi creatorem & redemptorem Deum, *præliabantur cum dracone* renuente Filium Dei, futurum hominem, adorare, illique subiectum esse cunctorum Domino. *Et draco pugnabat, & Angeli eius* repugnantes rectæ voluntati Michaelis, & Angelorum cum eo bene sentientium de veritate diuinitatis Christi: *& non valuerunt* contra bonos Angelos impij; *neque locus inuentus est eorum amplius in cælo*, depulsi a Michaele probante nullum æqualem Deo esse posse. *Et proiectus est draco ille magnus, serpens antiquus* primorum parentum deceptor, *qui vocatur diabolus, & Satanas* (vel ab Homero parum mutato nomine nuncupatus z Ate) *qui seducit vniuersum orbem* humanum semper in singulis, vt olim primum in Adamo. *Et proiectus est in terram, & Angeli eius cum illo missi sunt*, vt qui cum ipso peccauerunt in cælo, cum eodem punirentur in terra, condignas pœnas luentes. *Et audiui vocem magnam*, triumphantium de victo Lucifero bonorum Angelorum innumerabilium, *in cælo dicentem*, paratæ victoriæ triumphum canentem: *Nunc facta est salus, & virtus, & regnum Dei nostri*; nempe *salus* Angelorum bonorum qui confirmati sunt in gratia, non consentientes diabolo contra Domini præeminentiam: *& virtus* in Angelis bonis, qua vicerunt Angelos rebelles: *& regnum Dei nostri* super nos Angelos bonos,

y Matth. 2. 10.

z 19. Iliad. 125. & sequentib.

Kk Deo

Deo regi cunctorum obedire subditique prorsus in æternum esse voluimus. *Et potestas Christi eius*; cui Homini
a Matth. 28.18. facto Deus dedit omnem *a* potestatem in cælo, & in terra super omnes creaturas. *Quia proiectus est* de cælo in terras diabolus *accusator fratrum nostrorum* tam hominum, quos in Christo revereri noluit, quam Angelorum, quos impiæ suæ voluntati non adhærentes coarguebat incassum, *ante conspectum Dei nostri* Christi *die ac nocte*, nempe *die* diuinitatis eius, quam in humanitate non venerabatur: *& nocte* humanitatis eiusdem velantis diuinitatem, hominem Deum colere recusans, non reueritus Dei præsentiam. *Et ipsi* fratres nostri, tam boni Angeli, quam homines iusti, vicerunt eum *propter sanguinem Agni, & propter Verbum testimonij sui*. Angeli quidem, propter Verbum testimonij sui quod crediderunt Carnem factum iri, & hominem factum adorare constituerunt in Dominum: Homines vero, propter sanguinem eius innocentis agni offerendum Deo Patri ad eorum redemptionem, atque salutem: *& ipsi* mortales homines *non dilexerunt animas suas vsque ad mortem*, negligentes in mundo viuere propter confessionem diuinitatis Christi. *Et propterea lætamini cæli*, qui purgati fuistis Angelis præuaricatoribus, *& qui habitatis in eis* Angeli boni, qui vicistis malos, & eos de cælo pepulistis, & in eorum locum animas hominum piorum habituri estis conseruas Deo, sanguine Christi redemptas, & meritum sibi acquirentes eo perueniendi ad vestram societatem beatam. Itaque peccatum Angelorum fuit, quia noluerunt adorare Deum, cui Lucifer æqualem se facere præsumebat: consimile peccatum fuit hominum primorum,
b Gen. 3.5. 22. dum contempserunt obedire *b* præcepto diuino, sperantes esu vetiti pomi sicuti Deos euadere, quasique Deos humanatos; quod ipse Deus illis miseris ex peccato statim

tum exprobrauit, inquiens: *c Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est, sciens bonum, & malum:* nam solus Dei Filius assumpta carne per experientiam sciuit bonum, & malum pœnæ, simul cum humanitate sumens humanas miserias: & Adam cum vxore post patratum facinus, factus est itidem per experientiam sciens bonum innocentiæ, deliciarum, & voluptatis amissæ, simul & malum nuditatis, & aliarum ærumnarum corporalium, ad quas eiectus e paradiso voluptatis a Deo condemnatus est: sicut ob consimile crimen se Deo æquiparandi Lucifer eiectus est e cælo beatitudinis ad æternas inferni miserias; quod Angelus a nullo deceptus, at propria mala voluntate contra Deum peccauerit; homo deceptus a diabolo deliquerit; vnde redemptioni suæ locum homo reliquit apud infinitam Dei misericordiam: Angelus pœnitere nescius æternæ Dei Iustitiæ plectendus in æternum fuerit. Sed vterque pœnam transgressionis ex lege sibi meruit. Quod ex D. Bernardo Georgius *d* strictim, *Lex namque data fuit Angelis, vt adorarent Dei primogenitum: Lex data fuit homini, ne comederet, idest ne æmularetur lignum scientiæ boni & mali, quod Christus est, vt supra latius explicauimus. Sed vterque transgressus est præceptum: ille non reuerendo Dei præcipuum Filium: hic æmulando eius gradum, ipsi particulariter interdictum. Huc conueniunt nonnulli sapientes, Bernardus præcipue, qui Dei contemplatione edoctus, dum exponit illud Ionæ:* Propter me venit hæc tempestas: *inquit: Verbum & Filij dicentis: Propter me venit tempestas hæc in Angelis, & primis parentibus: In illis, quia nolebant eum in Dominum suscipere: in istis, quia æmulabantur sapientiam, vel gradum ipsius Christi: Quod isti fecerunt suasu illius, qui primo præuaricatus est: Qui casum hominis procurauit, vt socios haberet contumeliæ, & pœnarum: & vt hominem abduceret ab illa felicitate, quam ipse*

c Gen. 3. 22

d de harm. mund. to. 3 c. 3. f.

adipisci non poterat. Sed luculentissime D. Bernardus ita:
e serm.1. de Adu Domin. „ Initium *e* omnis peccati superbia: quæ tam velociter ip-
„ sum quoque sideribus cunctis clarius micantem, æterna
„ caligine obtenebrauit Luciferum; quæ non modo An-
„ gelum, sed Angelorum primum in diabolum commuta-
„ uit. Vnde & protinus inuidens homini, quam concepe-
„ rat in semetipso, in eo peperit iniquitatem: suadens vt
„ lignum vetitum gustans fieret sicut Deus, sciens bonum
„ & malum. Quid enim polliceris, quid promittis miser?
quam *Filius Altissimi scientiæ clauem habeat, & ipse sit cla-*
f Apoc.3. *uis Dauid, qui f claudit, & nemo aperit. In eo sunt omnes*
g Coloss.2.3. *thesauri g sapientiæ & scientiæ absconditi*: tu ne eos, vt ho-
mini præstes, inique furaberis? Videtis quia vere iuxta
h Ioa.8. Domini sententiam, *mendax iste est, &* h *pater eius*. Nam
i Isaiæ 14. & mendax fuit dicens: *similis ero* i *Altissimo*: & mendacij
pater, quum in hominem quoque venenatum suæ falsi-
k Gen.3.5. tatis seminarium effudit, *k* dicens; eritis sicut Dij. Tu
l Psal.49. quoque, o homo, *l si videbas furem, curris cum eo?* Audisti
fratres, quid hac nocte lectum est in Isaia dicente Domi-
m Isai.1.23 no: *m Principes tui infideles(* vel vt alia *n* translatio habet,
n Transl.70 *inobedientes) socij furum*. Reuera enim principes nostri,
Adam & Eua principia nostræ propaginis, inobedien-
tes, & socij furum: qui quod Filij Dei est, serpentis im-
mo diaboli per serpentem consilio, surripere tentant.
o Mat.3.17 12.18. 17.5. Marc.1 11 Luc.3.22. 9.35. Ioan.3.35. 10.17. 15.9. 12.24.28. Nec dissimulat iniuriam Filij Pater: Pater enim *o* diligit
Filium, sed continuo & in ipsum hominem vindictam re-
tribuit, & aggrauat super nos manum suam. Omnes
enim in Adam peccauimus, & in eo sententiam damna-
tionis accepimus omnes. Quid agat Filius, videns pro
se & zelare Patrem, & nulli penitus parcere creaturæ:
Ecce, inquit, occasione mei creaturas suas Pater amittit.
Altitudinem meam primus angelus affectauit; & popu-
lum, qui sibi crederet, habuit: sed continuo Patris ze-
lus

lus grauiter vindicauit in illum, percutiens eum pariter cum omnibus suis plaga incurabili, castigatione crudeli. Scientiam quoque, quæ nihilominus mea est, surripere voluit homo: & ne illi quidem misertus est, nec pepercit oculus eius. *p Nunquid de bobus cura est Deo?* Duas tantum fecerat nobiles creaturas rationis participes, capaces beatitudinis, Angelum videlicet atque hominem: Sed ecce propter me Angelos perdidit multos, homines vniuersos. Ergo vt sciant quia & ego diligo Patrem: per me recipiat, quos quodammodo propter me amisisse videtur. Si propter me tempestas hæc orta est (ait *q* Ionas) *tollite me, & mittite in mare.* Omnes inuident mihi. Ecce venio, & talem eis exhibeo memetipsum, vt quisquis inuidere voluerit, quisquis gestierit imitari, fiat ei æmulatio ista in bonum. Noui tamen in affectum malitiæ & nequitiæ transisse angelos deteriores, nec ex ignorantia aliqua seu infirmitate peccasse; ideoque perire necesse est pœnitere nolentes. Patris enim amor, & honor regis iudicium diligit. Propter hoc enim & ipse creauit homines ab initio, qui supplerent locum illum, & ruinas Hierusalem restaurarent. Sciebat enim nullam Angelis patere redeundi viam: Nempe *r nouit superbiam Moab*, quod superbus est valde: & superbia eius pœnitentiæ remedium non admittit, ac per hoc nec veniæ. At vero hominis vice nullam postea condidit creaturam: innuens ex hoc ipso redimendum adhuc hominem; quippe quem supplantauit aliena malitia; ideoque prodesse ei potest charitas aliena. Ita Domine obsecro, complaceat tibi vt eruas me, quoniam ego infirmus sum. *Quoniam de terra mea* (*furtim sublatus s sum: & hic innocens in lacum missus sum.* Non penitus quidem innocens, sed quantum ad eum, qui me seduxit, innocens aliquatenus. Mendacium mihi persuasum

p 1. Corin. 9.
q Ion. 1. 12.
r Isai. 16. 6.
s Gen. 41. 15.

est, Domine: veniat veritas, vt possit falsitas deprehendi, & cognoscam veritatem: & veritas liberabit me: si tamen deprehensæ falsitati penitus renunciauero, & cognitæ adhæsero veritati. Alioqui non humana erit tentatio, nec humanum peccatum; sed obstinatio diabolica. Nam perseuerare in malo diabolicum est: & digni sunt perire cum illo, quicunque in similitudinem eius permanent in peccato. Hæc ille Sanctus. Itaque Luciferi peccatum fuit superbia, qua noluit subijci Christo Dei Filio de Virgine nasciturо, sed illi prorsum infensus humanam naturam vniuersam interitui dare cogitauit, atque desiderauit ab initio, maloque suasu perdidit morti obnoxios efficiens primos parentes, & in ijs totam secuturam progeniem, dum homo credidit Angelo mendaci, se per esum vetiti fructus euasurum similem Dei Filio similem scienti bonum & malum. Vnde Iudæi, quos arguit Dominus, *ex patre diabolo fuerunt, non vtique carnis successione, sed crimine*, vt ait t D. Ambrosius. Et desideria patris sui diaboli voluerunt facere, tum negando Christi diuinitatem: tum quærendo procurandoque Christum interficere: Quæ duo fuere crimina diaboli, qui tum homicida fuit ab initio statim post suam creationem desiderans interimere genus humanum, & in eo Christum hominem factum speciatim; humani generis interitu procurato per mendacium vitians præceptum Dei de pomi esu, quam falsitatem seruit in animis primorum parentum. Quam diabolicam perfidiam imitati Iudæi multa contra Christum mendacia commenti sunt, & in eius interitum multa machinati facinora; per quæ tandem eum Iuda proditore morti tradiderunt. Sane u Isidorus, x Gregorius, y & Beda dicunt Angelos ante Mundum visibilem hunc fuisse creatos, ac tunc diabolum homicidam fuisse, non reipsa, sed animo & volun-
tate,

t lib. 4. in Lucam.

u l. 1. de sũ bono c. 12.

x 28. mor. c. 14. & l. 32 c. 10.

y l. 4. Reg. qu. 9.

tate, quod futuros homines interimere cogitasset; quam voluntatem executioni mandauit primos homines ab initio statim creatos deijciens de statu innocentiæ, ex quo lapsi sunt in mortis necessitatem illi, & in eos omnes posteri deinde nasciturі: nam, vt ait Augustinus; z *Ex illo ille fuit homicida, ex quo fieri potuit homicidium; & ex illo potuit fieri homicidium, ex quo factus est homo. Non enim posset occidi homo, nisi prius fieret homo.* Quod verum est de materiali homicidio, sed & futurum hominem diabolus occidere potuit ab initio voluntate sola; vt antea notauimus. At condito iam homine, diabolus in veritatem præcepti diuini vetantis esum pomi sub pœna mortis non stetit; falsificans verum sensum diuini præcepti, loquens mendacium ex proprijs affectibus, & dolis dicens, *nequaquam moriemini* a *quia* Satanas *mendax est* ex inuidia, *& pater eius* mendacij; quo primos homines seduxit; sicuti *mendax est* omnis homo malus b *& pater eius* dæmon, lege peccati sibi cunctos improbos adoptans.

z tract. 42.

a Gen. 3. 5. 22.

b Ps. 115. 11.

Hæc tibi de proposito raptim respōdere libuit, Vir Cl. Vale, & me ama. Dabā Patauij e meo Scalunuæ Museo.

De S. Paulini parænesi ad amicum eruditum: Esto Peripateticus Deo, & Pythagoreus mundo. *Cap. XXXIII.*

Doctissimo Viro, inque variæ eruditionis arce posito Fortunio Liceto vtramque Salutem D. Aloysius Nouarinus Cler. Regularis Addictissimus in Christo Seruus.

NVnc te secundo, Vir Doctissime, adeo: Oedipeumque ingenium tuum (mihi ita loqui sit fas) rur-

rursus exerceo. Licet? Sed hæ sunt tuæ curæ. Non pecco, nec tuorum studiorum cursum præcido, dum aliqua tibi denectenda offero; nam totum te in hoc labore esse, audio: & volumina, quæ passim de hoc argumento edis, id, vel cunctis tacentibus, exertè loquuntur. Amicis, qui inuolucra explicanda proponunt, vacuas, addo & bibulas qui aures offers, offer & mihi, qui & in amicorum tuorum censu numeror, & tuæ peritiæ rem edisserendam obijcio, nec ab instituto tuo alienam; nec a munere, quod exerces, dissitam. Dum Sanctorum Patrum volumina verso, in Sancti Paulini monumenta incurro, & in epistola quadam lego Sanctum hunc Doctorem huiusmodi monita suum Iouium munijsse: *Esto Peripateticus Deo, Pythagoreus mundo*. In quibus verbis Oedipo indigemus, hoc est, Te; nam videtur hic, Pythagoræ symbolum, ænigmaque latere. Gratum erit, si isthuc pro tua eruditione excunees, breuiterque significes, quid de huius sententiæ sensu, quam non leuis difficultas circumscribit, sentias. Quicquid illud sit, opto te in Peripatetico Licæo, Deo esse Peripateticum; & extra Pythagoræ scholam, Pythagoricum mundo, vt mundo fias maior, charior Deo. Vale. Veronæ Quinto Idus Martij.

Liceti Respons. de Sancti Paulini oraculo proposito.
Cap. XXXIV.

Cl. pietate, doctrina, ac eruditione Viro
D. Aloysio Nouarino Cler. Regul.
Fortunius Licetus B.A.

DVm Amicorum iussa literaria capesso, Literatissime Vir, plane sentio, me simul & illis inseruire, & mihi

mihi prodesse; nam inuestigatione latentium causarum proficiens egomet humanæ mentis exuo ruditatem naturalem. Quo nomine plurimum me debere profiteor omnibus, quicunque mihi præbent ansam ardua & vtilia meditandi. Quorum in ordine sententiam Sancti Paulini, nunc abs te mihi propositam ad enucleandum exosculor. Vtinam abditam illius Oraculi veritatem acu tangere valeam. Duo plane sensa de proposito venerunt ad mentem: primum quidem ante lectionem illius epistolæ parænetica S. Præsulis ad amicum Iouium, virum eloquio, literisque pollentem. Eninvero considerabam, in eo Peripateticos antecellere Pythagoricis circa pietatem erga Deum, quod illi Magistrum Aristotelem audiunt improbare Pythagoricas fabulas animarum transmigrantium de corporibus intereuntium in alia corpora nascentium, non hominum solum, sed etiam brutorum, atque plantarum. Quam hæresim Pythagoræ, diuinis oraculis execrabilem, vt vt Plato recepisse videatur in Timæo: tamen Aristoteles aperte proscindit, inquiens: *a Hi autem solum conantur dicere quale quid sit anima; de susceptiuo autem corpore nihil amplius determinant; tanquam possibile sit, secundum Pythagoricas fabulas, quamlibet animam quodlibet corpus ingredi: atque si quis dicat Tectonicam in fistulas ingredi*. Quæ, Pythagoreorum opinionem de metempsychosi reprobans Aristotelis sententia, consentanea veræ pietati Patrum orthodoxorum, & Sacræ Theologiæ consona proponitur Iouio recipienda, per hoc D. Paulini monitum: *Esto Peripateticus Deo*; nam impia Pythagoræ metempsychosis est inuisa Deo. Pythagorici tamen vitam ciuilem agunt plane moratam, temperantem, continentem, frugalem, ab omnium voluptatum illecebris alienam; qua se se præbent exemplar omnium virtutum cunctis homini-

I. Explicatio.

a 1. de an. t. 53.

bus. Quocirca rectè monetur Iouius amicus a S. Paulino, vt sit *Pythagoreus mundo*. Verum enimvero postea 11. Explic. visa, perlecta, diligenter expensa tota D. Præsulis epistola, magis proprium sensum eius adhortationis introspicere mihi visus sum; nempe Iouium eloquentia pollentem, loquentiaque luxuriantem, Casus & Fortunæ, Fati, Sortis, & Necessitatis vires plusquam nimium cum vulgaribus etiam Philosophis extollentem, veluti diuinitatis cuiusdam participes, inferiora contingentia maxime gubernantes; adeoque laborantem duplici animi morbo, S. Paulinus æmulatus zelum coæui sui Theodoreti, qui multa scripserat de curatione Græcarum affectionum, hac epistola solidæ sapientiæ plena, nunc amicum reuocare satagens ad sanam doctrinam de rerum omnium optima gubernatione solo veri Dei nutu; posthabitis inanibus fere nominibus Casus, & Fortunæ, temere diuinis titulis & honoribus a vulgo cultæ; præter alia multa præclara, proponit illud oraculum eximium arcanæ parænesis: *Esto Peripateticus Deo*, *Pythagoreus mundo*: cuius interpretationem a me postulas, inclite Nouarine. Profecto quum Iouius ille, vir æui suo literis clarus, gemina laborare videretur mentis infirmitate S. Paulino; praua scilicet opinione de summi Dei prouidentia, qua non existimabat gubernari nostratia, cietique rerum mutationes omnes ab eius Numine, speciatimque ventorum, aquarum, rerumque cunctarum inferiorum: & Cacoethe luculenter loquendi, prolixeque scribendi de rebus vanis; easque verbis eloquentiæ supra modum amplificandi: D. Præsul insignem virum epistola seria, docta pariter atque blanda curare satagit: & primum quidem male sanam Iouij mentem, de Diuinæ Prouidentiæ magnitudine detrahentem, deque Casus & Fortunæ diuinitate praue sentientem, purgare niti-

nititur exhibito pharmaco Peripateticæ disciplinæ; siquidem Aristoteles apertissime profitetur, & ostendit frequentissime, Omnia recte gubernari semper a summo Deo; mundique nullas esse partes à Fortuna Casuve, tanquam a causis præpotentibus, atque diuinitate quapiam pollentibus, ad arbitrium imperiose versatas, aliter ac vulgo putatur. Aristotelis autem euidentissima de proposito testimonia referre si lubeat; legimus apud ipsum: *b Entia nolunt male gubernari: Non est bona multitudo principatuum: vnus ergo Princeps* omnium Deus, cuncta recte gubernans. Et multo prius: *c Post hos autem, & huiusmodi principia, tanquam non sufficientia, vt entium naturam generarent, rursus ab ipsa veritate, vt diximus, coacti, illud quod sequitur quæsiuerunt principium: vt enim entia bene se partim habeant, partim fiant, nec ignem fortassis, nec terram, nec aliud huiuscemodi verisimile est causam esse, nec illos verisimile est arbitrari. Nec rursus Casui & Fortunæ tantam attribuere rem probe se habet. Quare qui, vt animalibus ita in Natura* rerum vniuersa *Intellectum inesse causam mundi, totiusque ordinis dixerat, quasi sobrius, comparatus ad Antiquiores vana dicentes, apparuit. Istas autem rationes qui palam attigit, Anaxagoram fuisse scimus: attamen Hermotimus Clazomenius dicitur causam prius dixisse. Qui igitur ita arbitrati sunt, principium entium posuerunt simul tam causam ipsius boni, quam illam vnde motus entibus inest.* Et inferius etiam, plane declarans ex proprijs dogmatibus allatam sententiam, euidentissime ponit Aristoteles Deum erga rerum mundanarum vniuersitatem, singulasque naturas, operationes, atque motiones earum, se se gerere, vti Dux erga milites in exercitu, & Pater familias erga liberos, & seruos, & bestias in domo, verbis ipsissimis: *d Perscrutandum autem etiam hoc, quonam modo natura Vniuersi habeat ipsum bo-*

b 12. meta. t. vlt.

c 1. meta. su. 2. c. 2.

d 2. meta. t. 52. 53.

num, & ipsum optimum: vtrum separatum quiddam, & ipsum, an per se, an ipso ordine. An vtroque modo, quemadmodum exercitus; etenim bene esse eius, in ordine, & dux ipse est; ac magis ipse; non enim ipse propter ordinem, verum ordo propter ipsum est. Cuncta autem coordinata quodam modo sunt; verum non similiter & natantia, & volatilia, & plantæ: nec ita se habent, vt sit vllum alteri ad alterum; sed sunt ad quippiam; ad vnum namque coordinata sunt omnia. Verum, quemadmodum in domo liberis quidem minime licet quodcunque facere, sed ea omnia, aut plurima, quæ ordinata sunt; mancipijs vero, & bestijs parum, quod ad commune conferat, sed vt plurimum quodcunque contingit (tale namque principium cuiusque eorum natura est.) Dico autem pariformiter quod necesse est omnia in discrimen venire: & alia ita sunt, quibus omnia communicant ad vniuersum. Quin &
e 10. ethic. cap. 8. alibi scribit *e* Aristoteles, Deum habere curam rerum humanarum: remunerari probas & honestas actiones: Deoque charissimos esse viros intellectum suum virtutibus excolentes: Immo vero primum motorem esse pro-
f 8. phys. passim, & 12. meta. t. 36. & sequentib. bat *f* ipse non semel: motumque cælorum, ab eo prouenientem, esse constituit causam effectricem omnium, & singulorum motuum elementarium sub cælo, scribens
g 1. meteo. su. 1. c. 2. tum, *g* Necessarium fuisse mundum hunc inferiorem continuum quodammodo esse supernis lationibus, vt
h 2. de gen. t. 57. 58. omnis huius mundi virtus gubernetur inde: tum, *h* Omnem vitam, & durationem, mutationemque subcælestium mensurari, pendereque semper a motu circulari
i 4. de gen. an. c. 10. cælestium: *i* tum, speciatim tempestates ventorum, & maris, a motu lumineque cælestium promoueri, sic: *Vt enim & mare, & omnem humorum naturam subsistere, mutarive pro flatuum motu, & quiete videmus; aerem vero, & flatum pro Solis Lunæque circuitu affici; sic ea, quæ ex ijs, aut in ijs oriuntur, sequi necesse est. Nam vt rerum minus*

prin-

principalium circuitus sequantur magis principalium rerum circuitum, ratio est. Vitam enim quandam, & ortum, & interitum vel statum esse fateor: Conuersionis vero eorum siderum alia fortasse principia sunt. Natura igitur ita sibi vult, vt eorum numeris generationes, & obitus numeret: Sed exquisite id facere nequit, propter materiae indefinitionem; & quod multa principia incidunt, quae generationes destinatas secundum naturam, & corruptiones saepe impediant; atque ita causa sint eorum, quae veniunt praeter naturam. Quem locum alibi *k* fusius explicauimus apud Cl. Beneroui-cium, agentes de Fatali Vitae termino. Ceterum & a summo Deo proxime quoque fieri cunctarum rerum generabilium in mundo singulas productiones, asseruit Aristoteles, inquiens, tum: *l* Diuinum, super naturam corpoream viuens vitam beatissimam, ac sibi sufficientissimam, esse id, *vnde rebus alijs pendet omnibus esse, & viuere; his quidem exactius, his autem obscurius:* tum, *m* Esse perpetuum in omnibus inueniri non potest; sed *reliquo modo compleuit Deus totum, continuam faciens generationem:* tum, *n Duplicia sunt principia mouentia physice; quorum alterum non physicum est, non enim habet motus principium in seipso; tale autem est, si aliquid mouet, quod non mouetur; vt id, quod penitus est immobile, & quod omnium primum est:* hoc autem Deus est Aristoteli. Qui similiter ait: *o Homo hominem generat: praeter* haec item cuncta mouens, tanquam omnium primum. Et alibi: *p Verumque igitur mouere dicimus, & primum, & vltimum mouentium; sed magis primum; illud enim mouet vltimum, sed non hoc primum: & sine primo quidem vltimum non mouebit, illud autem sine hoc.* Vnde constat, Aristotelem asseruisse, Deum ad motus omnes efficiendos concurrere cum causis secundis; tanquam primum mouens, absque quo nullus omnino motus ab vllis causis infra Deum cieri valeat.

k de prim. Quaest. ref. 1. ad epist. 5.
l 1. cęl. t. 100.
m 2. de gen. t. 59.
n 2. phys. t. 73.
o 12 meta. t. 24.
p 8 phys. t. 3.

q 7. eudem. cap. 18. leat. In quam sententiam etiam alio loco dicit: *q Patet autem sic esse, quemadmodum in vniuerso est Deus, & vicissim cuncta in illo: mouentur enim omnia ab inexistente in nobis numine*. Deque Casu & Fortuna peragens Aristoteles ex *r* proposito, sicuti non probauit opinionem illorum, qui negabant omnino Casum, & Fortunam; & aliorum, qui statuebant, a Fortuna & Casu factum fuisse cælum & mundum: ita sine peculiari reprobatione, solum affert, despiciens illam examinare, quorundam opinionem, *s quibus Fortuna videtur quidem esse causa, immanifesta autem humano intellectui, tanquam diuinum quiddam existens, & felicius*. Hanc inquam opinionem expresse non damnat ibi, sicut alias; at eius improbationem, vt euidentissimam & facillimam, *t* negligens, ex rei natura solum *u* statim determinat luculenter Casum & Fortunam esse causas effectrices per accidens eorum effectuum, qui vel a natura citra cognitionem electionemve, propter aliquem finem operante: vel ab intellectu nostro, similiter gratia finis secundum electionem agente producuntur: quorum effectuum natura, vel intellectus humanus est causa per se. Quoniam vero nulla causa secunda, siue per se, siue per accidens, quidquam operari potest absque prima causa, vt nuper edocuit nos *x* Aristoteles; propterea Peripateticus in euentibus fortuitis tres causas effectrices ad inuicem subordinatas agnoscit; quarum vna prima princeps & communissima Deus est, per se se promouens, independenter ab alio quolibet, cunctos euentus. Alia est causa secunda, per se determinata ad peculiarem effectum; quam causam secundam Aristoteles in effectibus fortuitis ponit esse humanum Intellectum agentem ex electione propter aliquem finem, sibi propositum a semetipso: in casualibus vero, naturam electionis expertem, operantem itidem

r 2. phys. t. 40 & sequentib.
s 2. phys. t. 47.
t 1. post. an. tex. 76.
u 2. phys. t. 48. & sequentib.
x 8. phys. t. 33.

dem

dem gratia finis; quæ proprium effectum determinate producit ex essentiæ suæ similitudine; vt ait Aristoteles non *y* semel. Tertia causa est accidentalis conditio, vel intellectui, vel naturæ, ac omnino causis secundis contingens, ratione cujus Intellectus humanus, & inferior natura operando finem alium consequitur, diuersum ab eo, cuius gratia suam operationem ab initio promouebat. Et ista conditio accidentalis causarum secundarum proprie ab Aristotele ponitur esse Casus & Fortuna. Quæ tantum abest vt diuinitatem in se contineant a supremo Numine vero contradistinctam apud Peripateticos; quod potius has vtrasque causas collocant infra naturam humanæ mentis, & omnem aliam substantiam materialem, in accidentium serie res etiam *z* indeterminatas, cognitu difficiles, & incertas; non autem occultas humanis intellectibus propter vllam diuinitatem; cuiusmodi substantias abstractas *a* alibi ponit Aristoteles. Verum enimvero quia decreto Peripati Causæ per accidens a scientifico redigi debent ad causas *b* per se, quibus eas aliquando contingit adnecti; propterea factum est, vt Fortunæ, Casusque nomina referantur & ad naturam, & ad intellectum humanum, ac omnino ad causas effectuum fortuitorum & casualium secundas, prout a prima causa rerum omnium Deo summo contradistinguuntur. Quo sensu nomina Casus & Fortunæ procul abigit Aristoteles a Deo, solisque secundis causis applicuit, quæ possunt errare, ac iniuste agere, dum infit; *c At nunquid secunda fortuna est, vt Deorum quædam cura? An id minime videri debet; talium siquidem Dominum præficimus Deum, vt bona malaque meritis distribuat; at fortuna, & quæ a fortuna, tam vere, quam vt fors tulerit, fiunt; quod si huiusmodi distributori Deo adscripsimus, malum ipsum iudicem faciemus, neque iustum; id nefas Deo deputare.*

y 2. de anl. t. 34. 1. mag mo. cap. 10.

z 2. phys. t. 53.

a 2. meta. t. 1.

b 2. phys. t 66. 67.

c 2. magn. mor. c. 9.

Cete-

Ceterum præter hæc ad nihil aliud quispiam fortunam ordinarit; proinde non dubium, quin horum aliquid sit. Mens certe, aut ratio, nec non scientia, prorsus alienum ab hoc esse volumus: (quod & in *d* Physitis asseruerat) *Præterea neque cura, neque beneuolentia, quæ a Deo, videtur esse felicitas* (hoc est prospera *e* fortuna) *quoniam malis attribuitur. Atqui Deum malorum curam habere fas non est.* Vbi *curæ* nomine signat Aristoteles beneuolentiam, & fauorabilem protectionem, gratiamque dilectionis, qua Deus impios non prosequitur; ast illos oderit, iustos tantummodo diligens, atque de probis curam gerens benigna custodia; qui propterea dixit: *f Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* & alibi de iustis: *g Qui tetigerit vos, tanget pupillam oculi mei.* Sic ergo Fortunam Aristoteles, prout refertur ad causas secundas, *h* præter rationem operantes, a Deo contradistinguit; recteque determinat contra vulgi placitum, vulgariumque philosophorum opinionem; Fortunam inquam & Casum Arist. decernit nulla diuinitate pollere. Verum quia Deus cum omnibus causis secundis, tam per se, quam per accidens operantibus, concurrit ad omnes atque singulos effectus producendos, veluti causa prima procreans ipsorum existentiam, vt optime demonstrat *i* D. Thomas, & nos alibi latius agentes de concursu primæ causæ cum secundis; propterea licuit aliquando per tropum Aristoteli, nuncupare Deum nomine Sortis, Fati, Necessitatis, & aliarum rerum: quod & Areopagita decernit agens de Diuinis nominibus, & inquiens: *k Deus ex ijs etiam, quæ sunt, omnibus recte laudatur, atque nominatur.* Vnde sapienter Aristoteles: *l Vnus porro Deus quum sit, pluribus nominibus appellatus est; ab ijs vtique omnibus suis effectibus denominatus, quorum specimen edere ipse solet.* (& mox) *Vocatur & Fulgurator, & Altitonans, & Aetherius, & Fulminator, &*

d 2. phys. t. 55.
e 2. phys t. 58.
f Malach. 1. 2. 3. Rom. 9. 13
g Zachar. 2 8.
h 2. phys. t. 55.
i 37. opusc. c. 4.
k cap. 1. t. 19.
l de mundo cap. 7.

Fluuius,

pluuius, a pluuijs vtique & fulminibus, alijsque operibus, e quibus ipsa vocabula deducta sunt. Quin & Frugipotens, & Custos Vrbium vocitatur. (& paulo post) *Equidem Necessitatem ipsam etiam nihil aliud quam Deum dici censuerim, & intelligi, cui ἀνάγκη ex eo nomine est, quod natura quadam sit immobilis: Eandemque εἱμαρμένην, id est Fatum, dictum a serie rerum conserta, inoffensoque tenore procedente. Quod alio nomine πεπρωμένην ideo appellauerunt, quod ab eo omnia terminata sunt, ac nihil in rerum natura infinitum est. Quin & μοῖραν, id est Sortem, appellatum eundem Deum a partitione rerum dixerim* &c. Quæ cuncta sigillatim explicauimus *m* alibi fuse, tractantes *De Pietate Aristotelis erga Deum & homines*. Hic adnotare sat est, nuncupari quidem ab Aristotele per tropum, Deum nomine Fati, Sortis, & Necessitatis, denominatione facta solum ab operum suorum conditionibus; nunquam tamen Deo Casus, & Fortunæ nomina Philosophum attribuisse, nec vnquam vllam Casui, Fortunæve proprie sumptis assignauisse diuinitatem; quibus *n* alibi dedit rationem causæ per accidens, & locum infra naturam corporalem, & intellectum humanum; quorum sunt conditiones accidentales; ab vtrisque tamen contradistinguuntur in ratione causarum effectricum. Quod & alio loco monet Aristoteles asserens: *o Eorum autem, quæ fiunt, quædam natura, quædam arte, quædam casu fiunt:* quum a natura, & ab arte proprij effectus fiant per se; a casu vero per accidens. Quin & eo nomine constat Aristotelem Casui, Fortunæque diuinitatem omnem ademisse, ac infra naturæ nostratis ordinem hanc vtramque causam accidentariam collocasse; quia clare constituit, in actione Casus atque Fortunæ reperiri temeritatem, ac ipsum *p frustra:* quam imperfectionem aperte remouet ab actionibus Dei, & naturæ, dicens: *q Deus, & Natura nihil fru-*

m l.1.cap.2

n 2.phys.t. 42.& seqq.

o 7.meta. t.22.

p 2.phys. t.62.

q 1.cœl.t.32

r 1. de part. cap. 5. *frustra faciunt*. & alibi: r *Quippe quum natura operibus iunctum illud præcipue sit, vbi nihil temere, viceque fortuita committatur; sed alicuius gratia omnia agantur*. Fortuna vero & Casus nullius finis gratia operantur, sed temerariam actionem habent, peruertentem vtcunque functiones artis, & naturæ, de se propter finem operantium.

s 2. phys t. 50. & sequentib. Denique vero luculenter ostendit s Aristoteles, Fortunam & Casum esse temerarias causas per accidens eorum effectuum, qui raro fiunt, per se productorum vel ab humano intellectu, secundum electionem agente propter aliquem finem; vel ab inferiori natura, præter electionem operante, sed itidem gratia finis alicuius: Veterumque, Fortunæ simul & Casui diuinitatem aliquam adscribentium, opinionem leuiter tactam t (vt t 2. phys. t. 47. adnotaui) confutatione peculiari minime dignatur, eam despiciens u vt euidenter irrationabilem, quæ facillime u 1. post. t. 76. corruat allatis veris definitionibus vtriusque causæ huius accidentariæ; quas ex rei natura statim educit euidentissimas. Itaque rectam de Deo sententiam quum Aristotelem habuisse cognosceret S. Paulinus, videns Philosophum asseuerare, Deum vnum habere curam omnium rerum, & entium singulorum prouidentiam, rectamque gubernationem: & esse primum motorem, cunctarum mutationum autorem: Fortunam autem, & Casum nullius omnino diuinitatis participes esse: Fatum, & Sortem, & vocatam Necessitatem, extra Deum (cui per tropum vtcumque videntur adaptari posse) nihil esse: optimo consilio retrahit ab opinione praua mentem amici Iouij, male cogitantis & loquentis de Deo, Fortunaque, Casu, Fato, Sorte, atque Necessitate circa nostratium gubernationem, retrahit inquam ad veram & sanam sententiam Aristotelis, Peripateticorum Principis atque Magistri, dicens illi ESTO PERIPATETICVS Cardo' fo. lut. 11. DEO:

DEO: sic apte curans prauam ægritudinem animi Iouiani, cum plerisque vulgaribus, & extra Peripatum male philosophantibus, existimando Deum verum non habere curam rerum humanarum, neque promouere fulgura, fulmina, tonitrua, procellas ventorum, tempestatesque maris, & id generis: at ista cieri, fierique potestate magna Fortunæ, Casus, Fati, Sortis, ac Necessitatis; quibus diuinitatem quandam, aliam a summo Numine, supra naturam humanæ facultatis perperam Iouius assignare videtur. Quare S. Antistes amicum virum admonet ac hortatur, vt relictis aliorum, impie de proposito sentientium, sectis Fortunam & Casum extollentibus supra conditionem humanam, atque venerantibus, veluti præpotentia quædam Numina, se se referat ad castra Peripateticorum, bene de Deo philosophantium.

Ad alteram autem Oraculi parænetici sententiam explicandam aggrediamur, quæ sic habet: ESTO PYTHAGOREVS MVNDO. Profecto remedium hoc a S. Paulino proponitur aduersus alterum amici Iouij morbum; qui morbus est intemperies linguæ, nimiaque loquacitas, atque profusa dicacitas de rebus vanis, tumidusve sermo res inanes, & nihili plurimum amplificans, nimirum (vti constat ex tota S. Præsulis epistola) Casum, & Fortunam, quin & Sortem, Fatum, atque Necessitatem extra Deum. Adhibet autem S. Episcopus hoc vnico præcepto geminæ passioni Iouij duplex oportunum præsidium, e Pythagoreorum officina depromptum. Duos etenim habuere mores in sermone Pythagorei: Silentium altum quinquennale de rebus omnibus ad sapientiam attinentibus, vacantes eo toto lustro solum audiendæ doctrinæ Pythagoricæ: Silentiumque perpetuum de rebus vanis, etiam post adeptam doctrinam

Pythagoræ, non loquentes vnquam nisi, atque sapienter, eloquio non fucato, neque phalerato, sed puro, simplici, & proprio; doctrinam, & animi sui sensa præclara mortalibus explicantes, aperientesque Mundo sobrietate sermonis: Quod apertissime constat ex integra sententia D. Paulini, quæ sic habet: *Verte potius sententiam, verte facundiam. Nam animi philosophiam non deponas licet; dum eam fide condias, & religione conserta vtare sapientius, vt sis Dei philosophus, & Dei vates, non quærendo, sed imitando Deum, sapiens, vt non tam lingua, quam vita eruditus, tam differas magna, quam facias. ESTO PERIPATETICVS DEO, PYTTHAGOREVS MVNDO: vere in Christo sapientiæ prædicator, & tandem tacitus vanitati perniciosum istum inanium dulcedinem literarum, quasi illos patriæ oblitteratores de baccarum suauitate Lotopaghos, vt Sirenarum carmina, blandimentorum docentium cantus euita.*

Digressio. Ex qua sane nobili parænesi S. Paulini, tam alte de pietate Peripateticorum sentientis, apertissime constat, quam insulse pariter ac iniuste quidam Cœnobita, sub persona cuiusdam ignaui sui discipuli latitans laruatus, nuper edito libello famoso, scribere ausus fuerit, libros *De Pietate Aristotelis erga Deum, & homines*, ab autore Padi fluuium enauigante debuisse demergi. Cuius tamen vota iure merito non solum prorsus irrita fecit Summus Pontifex INNOCENTIVS X. benigne suscipiens & cum applausu libros illos de Pietate Peripatetica sibi nuncupatos: verum etiam Sacræ Inquisitionis Congregatio damnauit, edito promulgatoque decreto prohibens in Vniuersa Republica Christiana legi, tenerique libellum temerarium, atque scandalosum, cui titulus præfigitur, *Auisi di Parnaso à Poeti Toschi* &c. in quo futilis autor illam in Pietatis Aristotelicæ cultum calumniam effutire non dubitauit.

Romæ 4. Martij 1647.

Hæc,

Hæc, eruditissime vir, in præsentia meus excogitauit animus de tuo nupero nobili Quæsito respondenda: Quę subijcio lubens acerrimi iudicij tui censuræ, non approbaturus, nisi quæ tu non improbaueris: & exosculaturus omnem ab ingenio tuo prodituram meorum sphalmatum correctionem. Vale, ac me ama. Dabam Patauij e meo Scalumnæ Museo VIII. Cal. Aprilis.

De Moris antiqui ratione, ac origine: cur vno conuiuarum bibente, ceterorum nemo simul combibat, sed seorsum singuli potent, Quaeritur. Cap. XXXV.

Eruditissimo Viro Fortunio Liceto Don Petrus Trauersius Cl. Regularis S. P.

AB amicis Mediolanensibus per literas enixę rogor, vt quantocyus te conueniam, eruditiss. Licete, sciscitaturus causam, & primæuam originem antiqui moris inter conuiuas: Cur vno bibente, ceterorum nemo simul in symposio combibat, sed seorsum singuli potent ab æuo: Quisque fuerit huiusce moris primus institutor, seu quando primum instituta fuerit ista consuetudo monopotandi, si fas est ita loqui. Non inueniunt eruditi viri causam, & originem propositi apud Autores, quos consuluerunt hactenus; vtrumque sperant nunc apud tuum condum promum eruditionum antiquarum inuenire. Tu Vir Cl. pro qua clues humanitate, meam intercessionem pro viris amicis irritam ne facias. Excute, quæso, diligenter eruditionum tuarum condum; nam inde promes, quod amici nimis expetunt, quibus valde cupio satisfieri. Vale, ac me ama. Dat. e domo nostra SS. Simeonis & Iudæ, Patauij MDCXLVIII.

Li-

Liceti Resp. Cur Antiqui singuli biberent in conuiuio, non simul plures compotarent: deque moris vetustate. Cap. XXXVI.

Cl. Viro Don Petro Trauersio Cl. Reg. Fortunius Licetus B.A.

PVlchrum sane Quæsitum enodandum in præsentia mihi proponitur, & arduum: vt pote procul ab æuo nostro primæuam originem, & rationem habens in abdita vetustatis maiestate delitescentem. Quam tamen vt tibi paream, amicisque tuis literarum cultoribus morem
a Lucret. 1. l. 5. gerам, pro virili conabor educere, sicut ait a ille, dias in luminis oras. In primis obseruo, non apud omnes hunc extitisse morem bibendi singulariter, Athenæo scribente:
b l. 3. c. 20. b *Quum salsamentum ederemus adhuc, multique in potum impetum facerent.* & mox: *Quamuis Macedones, vt Ephippus Olynthius in libro de Alexandri & Hephæstionis exequijs testatur, non ordinate bibant, sed statim ab initio magnis propinationibus vtantur, ita vt primis etiam mensis tacentibus fiant ebrij, neque cibis vesci postea valeant.* Quin etiam quum isti Quæsito nomen Symposij contradicere videatur, quod compotationem significat (nisi velimus compotationem ad totum tempus, & ad locum Symposij
I. Ratio Quæsiti. referri) Nihilominus apud quos moris id fuit singulatim bibere, primum referri posse videtur ad puram reuerentiam bibentis; cui signum hoc honoris exhibeant omnes alij conuiuæ. Quæ sane ratio valere potest, vbi conuiuantium honorabilior potauerit: verum infimi subsellij bibente quopiam, primores ob illius cultum a potu cunctos interim abstinere consueuisse, probabile non est.
II. Ratio. An vero potationem huiuscemodi singularem in sympo-

posio

posito referre liceat ad rationem physicam, & moralem? quia scilicet aliquando contingit, vt inter bibendum gutta liquoris a gula deflectat in tracheam, vnde concitatur vehementer sonora molesta tussis, & inopinato fragore valido compotantem facile quemque turbare valeret, simul & in consimilem affectum vehementis & molestiæ tussis impellere. Quæ sane ratio maiori probabilitate nititur, quam prior. Nec omittendum est, vt Græcos olim, ita nonnullas alias etiam inferioris æui Nationes consueuisse passim præbibentes in conuiuijs inuitare, vnumquemque singuli viritim ad certam potandi mensuram scyphis prælongis per interualla distinctos mensurarum circulos habentibus: Ideoque singuli cuiusque bibentis potationem omnes obseruare solitos accurate, num ad præscriptam ebiberet mensuram, nec ne. Ceterum vbi frequentior est multorum compotatio, meraque iam calentium, vt sæpissime fit, obstrepera tumultuosaque valde nimis, vna simul etiam multi nulla lege potant. Quem sane morem certandi potationibus, Carolus Magnus extirpare conatus, lege vetuit, Ne quis alium ad bibendum prouocaret; ebriumque in exercitu aquam in pæ[illegible] potare compulit, ipse temperantiæ pulcherrimum exemplum existens, cibi potusque parcissimus. Verum enimvero lubet altius propositi problematis causam expiscari. Proculdubio quamuis Lacedæmones nullam omnino bibendi legem haberent, iuxta vetustam distichon: III Ratio.

„ Atque etiam Spartæ mos est laudabilis ille,
„ Vt bibat arbitrio pocula quisque suo.

Quem morem obseruatum voluisse Regem Persarum Assuerum, legimus in sacra pagina notis ipsissimis: *c Bibebant autem qui inuitati erant aureis poculis, & alijs atque alijs vasis cibi inferebantur. Vinum quoque, vt magnificen-* c Esther 1.

tia

tia regia dignum erat, abundans & præcipuum ponebatur. Nec erat, qui nolentes cogeret ad bibendum. Sed sic Rex statuerat, præponens mensis singulos de principibus suis, vt sumeret vnusquisque quod vellet. Nilosecius tamen apud alios Græcos, & apud Romanos etiam certæ leges erant bibendi; quarum obseruatione diligenter inuigilabant aliqui Conuiuio Præfecti, quos appellare consueuere
c l. 1. qu. 4. *Sympoſiarchas* Attici, Plutarchi c testimonio in Symposiacis, Xilandro vertente, *Conuiuij-Magistros*: Latini verò nuncupauere *Modiperatores*; vt apud Nonium M. Varro fatetur: *Modiperatores*, inquit Nonius, *quas Modum imperantes. Varro Rerum Humanarum libro vigesimo: In conuiuijs qui sunt instituti potandi Modiperatores magistri*. De quibus potandi legibus in conuiuio, passim Autores classici, Athenæus, Diogenes Laertius, M. Tullius, & Plutarchus ipse strictim, sed fusius Plinius, & Rhodiginus. Athenæi
d l. 2. c. 1. verba sunt: *d Philochorus in Amphictyonem scribit Atheniensium regem primum omnium, vinum miscuisse; quippè qui mistionem a Dionysio didicisset: quare rectè se habuisse homines ita bibentes, ait, qui prius mero flectebantur; atque idcirco Dionysio Recto in Horanum Sacello Aram fuisse erectam; illæ enim fructus vitium nutriunt. Apud aram ipsam Nymphis etiam aram extruxit, monumentum mistionis faciens vino vtentibus; quia Bacchi nutrices Nymphæ fuisse dicuntur. Legem præterea sanciuit, tantum vini non misti post cibos sumere, quantum satis esset ad gustandum, ob indicium virtutis boni Dei: at reliqui misti, quantum quisque vellet. Iouis præterea Seruatoris nomen inuocare constituit memoriæ gratia bibentium; quod sic bibentes, salutem sine dubio consequerentur. Plato libro De Legibus secundo vini vsum scribit sanitatis gratia nobis fuisse concessum.* Laertius e ait: *Inuitatus*
e l. 8. in vi. Empedoc *enim Empedocles fuerat a quodam ex principibus; ac procedente conuiuio, cæna non inferebatur: Tacentibus alijs, indi-*
gne

gne ille ferens, inferri iussit: Qui vero illum inuitarat, præstolari se Curiæ ministrum dixit: Vbi vero ille aduenit, Conuiuij-princeps constitutus est; id nimirum agente eo, qui illum vocauerat. Tum ille Tyrannidis initia haud obscura præseferens, iubebat. Aut bibere, aut in caput diffundi merum. Tunc igitur Empedocles tacuit. Postridie vero coacto iudicio damnauit vtrumque, ac peremit Inuitatorem, & Conuiuij-principem. Istud enim eius Reipublicæ tractandæ initium fuit. Quid, obsecro, fecisset Empedocles de compotatoribus hodiernis? qui dicunt, *Aut bibe, aut hunc cantharum, quantus est, in caput impingam tuum:* & ita non raro ex compotatione fit monomachia. Tolerabilior alia lex est, & a Cicerone laudata, dum inquit: *Mihi quidem in vita seruanda videtur illa lex, quæ in Græcorum Conuiuijs obtinetur: Aut bibat, inquit, aut abeat: & recte: Aut enim fruatur aliquis cum alijs voluptate potandi; aut, ne sobrius in violentiam vinolentorum incidat, ante discedat: Sic iniurias fortunæ, quas ferre nequeas, defugiendo relinquas.* Quam legem in Adagium transtulerunt Erasmus, atque Manutius. At vero legis potandi, quæ luculentiorem rationem afferre valeat nostri problematis, meminisse videntur alij Scriptores; etenim compertum est apud Classicos, in conuiuijs homines certa quadam mensura bibere consueuisse per ordinem; is autem ordo seruari non poterat, nisi seorsum singuli potarent, vnus post alium; nam simul pluribus compotantibus, quis ordo potest inter bibentes esse? De hoc autem ordine bibentium plenum præclarumque testimonium habemus Plutarchi, scribentis in opusculo, cui titulum *Conuiuij* dedit, huiuscemodi sententiam: *Alioqui teneo apud antiquos moris fuisse, vt propinarent inuicem, certaque (vt apud Homerum est) mensura biberent per ordinem; quo modo Aiax partes carnis ei, qui iuxta assidebat, obtulit.* Certe propinare ad inuicem non valent, neque

5. Tusc. 5.

IV. Ratio.

per ordinem bibere ad mensuram, nisi singuli seorsum. Hinc factum est, vt, vno bibente, nemo ceterorum simul
V. Ratio. potaret. Insuper & illud e Scriptoribus celebrati nominis habeo, certas in Symposijs bibendi fuisse leges, quas nefas erat vlli transilire; quin & conuiuio præfuisse quosdam exploratores, quorum officium erat diligenter inspicere, num quis bibentium ab obseruantia legum se se eximeret; erant autem leges istæ: non errare loquendo: siue balbutiendo, siue cespitando, siue aliter: non vomere, nec aluo deponere crapulam, neque mingere: plurimum haurire vnica potione: plurimum addere præcedentibus potationibus poculisve minoribus: non respirasse inter bibendum: non expuisse: nihilque in fundo poculi reliquisse liquoris, quod ad pauimentum elidi posset. Istas vero leges an obseruarent potantes percipere non possent pauci exploratores, si conuiuarum simul plures vna biberent, sed solum si singuli seorsum potarent. Profecto de legibus istis bibendi Plinius ante
a l. 14. c. 22. Plutarchum ita locutus: *a Tiberio Claudio principe ante hos annos quadraginta institutum, vt ieiuni biberent, potusque vini antecederet cibos, externis & hoc artibus, ac medicorum placitis nouitate aliqua se se commendantium. Gloriam hac virtute Parthi quærunt: Famam apud Græcos Alcibiades meruit; apud nos cognomen etiam Nouellus Torquatus Mediolanensis, ad Proconsulatum vsque e Prætura honoribus gestis, tribus congijs (vnde & cognomen illi fuit) epotis vno impetu, spectante miraculi gratia Tiberio principe in senecta iam seuero, atque etiam sæuo alias, sed ipsa iuuenta ad merum pronior fuerat. Eaque commendatione credidere L. Pisonem Vrbis Romæ curæ ab eo delectum, quod biduo duabusque noctibus perpotationem continuasset apud ipsum iam principem. Nec vllo magis Drusus Cæsar regenerasse patrem Tiberium ferebatur. Torquati rara gloria (quando & hæc ars suis legi-*

bus

bus constat) non labasse sermone, nec leuatum vomitione, non altera corporis parte, dum biberet: matutinas obisse vigilias: plurimum hausisse vno potu: plurimum præterea alijs minoribus addidisse: optima fide non respirasse in hauriendo, neque expuisse: nihilque ad elidendum in pauimentis sonum ex vino reliquisse, diligenti scito legum contra bibendi fallacias. Ad quas diligenter obseruandas incassum instituti forent exploratores conuiuiorum, si multi simul compotassent, non singuli seorsim bibere consueuissent. Qua de re post Plinium, ex Plinio pariter & ex alijs antiquis autoribus Cœlius Rhodiginus ita: *b Apud Romanos vero bibendi ars hisce fere constabat legibus, quod Plinius obseruauit, & docuit: Non labasse sermone, non leuatum vomitione, non altera corporis parte; plurimum hausisse vno potu: plurimum præterea addidisse alijs minoribus: optima fide non respirasse in hauriendo, neque expuisse, nihilque ad elidendum in pauimento summum ac postremum potum ex vino reliquisse. Hac Plinius: quæ eo gratius apposuimus, quoniam quod extremo loco adiectum est, Horatio multum infert lucis Carminum secundo, quem locum conniuentes plerique transiliunt, in aurem, vt aiunt, vtramque prorsum sopiti.* b lib.7.ant. lect.c.26.

Absumet hæres Cecuba dignior
Seruata centum clauibus, & mero
Tinget pauimenta superbo,
Pontificum potiore cœnis.

In eo autem, quod Plinius dicit, optima fide non respirasse in hauriendo, scitu dignum est, id Græce admodum venuste vno exprimi verbo ἀμυστὶ, quo significatur, inter bibendum ne fuisse quidem occlusum os, aut contracta labra, sed capaciter hausisse, aut magis quasi ἀμυστὶ, quod indicat sine respiratione: vnde etiam producitur verbum, ἀμυστίζειν, eo modo bibere; quod nos Latine, nec inepte, amystisare dixerimus; quando & Horatianam legimus amystidem. Sed & alibi postea

r 1. de part. cap. 5. *frustra faciunt*. & alibi: r *Quippe quum naturæ operibus iunctum illud præcipue sit, vbi nihil temere, viceque fortuita committatur; sed alicuius gratia omnia agantur*. Fortuna vero & Casus nullius finis gratia operantur, sed temerariam actionem habent, peruertentem vtcunque functiones artis, & naturæ, de se propter finem operantium. Denique vero luculenter ostendit s Aristoteles, Fortunam & Casum esse temerarias causas per accidens eorum effectuum, qui raro fiunt, per se productorum vel ab humano intellectu, secundum electionem agente propter aliquem finem; vel ab inferiori natura, præter electionem operante, sed itidem gratia finis alicuius; Veterumque, Fortunæ simul & Casui diuinitatem aliquam adscribentium, opinionem leuiter tactam t (vt adnotaui) confutatione peculiari minime dignatur, eam despiciens u vt euidenter irrationabilem, quæ facillime corruat allatis veris definitionibus vtriusque causæ huius accidentariæ; quas ex rei natura statim educit euidentissimas. Itaque rectam de Deo sententiam quum Aristotelem habuisse cognosceret S. Paulinus, videns Philosophum asseuerare, Deum vnum habere curam omnium rerum, & entium singulorum prouidentiam, rectamque gubernationem: & esse primum motorem, cunctarum mutationum autorem: Fortunam autem, & Casum nullius omnino diuinitatis participes esse: Fatum, & Sortem, & vocatam Necessitatem, extra Deum (cui per tropum vtcumque videntur adaptari posse) nihil esse; optimo consilio retrahit ab opinione praua mentem amici Iouij, male cogitantis & loquentis de Deo, Fortunaque, Casu, Fato, Sorte, atque Necessitate circa nostratium gubernationem, retrahit inquam ad veram & sanam sententiam Aristotelis, Peripateticorum Principis atque Magistri, dicens illi ESTO PERIPATETICVS

s 2. phys. t. 50. & sequentib.

t 2. phys. t. 47.

u 1. post. t. 76.

Cardo' fo- lut. II.

DEO:

DEO: sic apte curans prauam ægritudinem animi Iouiani, cum plerisque vulgaribus, & extra Peripatum male philosophantibus, existimando Deum verum non habere curam rerum humanarum, neque promouere fulgura, fulmina, tonitrua, procellas ventorum, tempestatesque maris, & id generis: at ista cieri, fierique potestate magna Fortunæ, Casus, Fati, Sortis, ac Necessitatis; quibus diuinitatem quandam, aliam a summo Numine, supra naturam humanæ facultatis perperam Iouius assignare videtur. Quare S. Antistes amicum virum admonet ac hortatur, vt relictis aliorum, impie de proposito sentientium, sectis Fortunam & Casum extollentibus supra conditionem humanam, atque venerantibus, veluti præpotentia quædam Numina, se se referat ad castra Peripateticorum, bene de Deo philosophantium.

Ad alteram autem Oraculi parænetici sententiam explicandam aggrediamur, quæ sic habet: ESTO PYTHAGOREVS MVNDO. Profecto remedium hoc a S. Paulino proponitur aduersus alterum amici Iouij morbum; qui morbus est intemperies linguæ, nimiaque loquacitas, atque profusa dicacitas de rebus vanis, tumidusve sermo res inanes, & nihili plurimum amplificans, nimirum (vti constat ex tota S. Præsulis epistola) Casum, & Fortunam, quin & Sortem, Fatum, atque Necessitatem extra Deum. Adhibet autem S. Episcopus hoc vnico præcepto geminæ passioni Iouij duplex oportunum præsidium, e Pythagoreorum officina depromptum. Duos etenim habuere mores in sermone Pythagorei: Silentium altum quinquennale de rebus omnibus ad sapientiam attinentibus, vacantes eo toto lustro solum audiendæ doctrinæ Pythagoricæ: Silentiumque perpetuum de rebus vanis, etiam post adeptam doctrinam

Mm 2 Pytha-

Pythagoræ, non loquentes vnquam nisi, atque sapienter, eloquio non fucato, neque phalerato, sed puro, simplici, & proprio; doctrinam, & animi sui sensa præclara mortalibus explicantes, aperientesque Mundo sobrietate sermonis: Quod apertissime constat ex integra sententia D. Paulini, quæ sic habet: *Verte potius sententiam, verte facundiam. Nam animi philosophiam non deponas licet; dum eam fide condias, & religione conserta vtare sapientius, vt sis Dei philosophus, & Dei vates, non quærendo, sed imitando Deum, sapiens, vt non tam lingua, quam vita eruditus, tam disseras magna, quam facias. ESTO PERIPATETICVS DEO, PYTHAGOREVS MVNDO: vere in Christo sapientiæ prædicator, & tandem tacitus vanitati perniciosum istum inanium dulcedinem literarum, quasi illos patriæ oblitteratores de baccarum suauitate Lotopaghos, vt Sirenarum carmina, blandimentorum docentium cantus euita.* Ex qua sane nobili parænesi S. Paulini, tam alte de pietate Peripateticorum sentientis, apertissime constat, quam insulse pariter ac iniuste quidam Cœnobita, sub persona cuiusdam ignaui sui discipuli latitans laruatus, nuper edito libello famoso, scribere ausus fuerit, libros *De Pietate Aristotelis erga Deum, & homines*, ab autore Padi fluuium enauigante debuisse demergi. Cuius tamen vota iure merito non solum prorsus irrita fecit Summus Pontifex INNOCENTIVS X. benigne suscipiens & cum applausu libros illos de Pietate Peripatetica sibi nuncupatos: verum etiam Sacræ Inquisitionis Congregatio damnauit, edito promulgatoque decreto prohibens in Vniuersa Republica Christiana legi, tenerique libellum temerarium, atque scandalosum, cui titulus præfigitur, *Auisi di Parnaso à Poeti Toschi* &c. in quo futilis autor illam in Pietatis Aristotelicæ cultum calumniam effutire non dubitauit.

Digressio.

a Romæ 4. Martij 1647.

Hæc,

Hæc, eruditiſſime vir, in præſentia meus excogitauit animus de tuo nupero nobili Quæſito reſpondenda: Quę ſubijcio lubens acerrimi iudicij tui cenſuræ, non approbaturus, niſi quæ tu non improbaueris: & exoſculaturus omnem ab ingenio tuo prodituram meorum ſphalmatum correctionem. Vale, ac me ama. Dabam Patauij e meo Scalumnæ Muſeo VIII. Cal. Aprilis.

De Moris antiqui ratione, ac origine: cur vno conuiuarum bibente, ceterorum nemo ſimul combibat, ſed ſeorſum ſinguli potent, Quæritur. Cap. XXXV.

Eruditiſſimo Viro Fortunio Liceto Don Petrus Trauerſius Cl. Regularis S. P.

AB amicis Mediolanenſibus per literas enixe rogor, vt quantocyus te conueniam, eruditiſs. Licete, ſciſcitaturus cauſam, & primæuam originem antiqui moris inter conuiuas: Cur vno bibente, ceterorum nemo ſimul in ſympoſio combibat, ſed ſeorſum ſinguli potent ab æuo; Quiſque fuerit huiuſce moris primus inſtitutor, ſeu quando primum inſtituta fuerit iſta conſuetudo monopotandi, ſi fas eſt ita loqui. Non inueniunt eruditi viri cauſam, & originem propoſiti apud Autores, quos conſuluerunt hactenus; vtrumque ſperant nunc apud tuum condum promum eruditionum antiquarum inuenire. Tu Vir Cl. pro qua clues humanitate, meam interceſſionem pro viris amicis irritam ne facias. Excute, quæſo, diligenter eruditionum tuarum condum; nam inde promes, quod amici nimis expetunt, quibus valde cupio ſatisfieri. Vale, ac me ama. Dat. e domo noſtra SS. Simeonis & Iudæ, Patauij MDCXLVIII.

Li-

Liceti Resp. Cur Antiqui singuli biberent in conuiuio, non simul plures compotarent: deque moris vetustate. Cap. XXXVI.

Cl. Viro Don Petro Trauersio Cl. Reg. Fortunius Licetus B.A.

PVlchrum sane Quæsitum enodandum in præsentia mihi proponitur, & arduum: vt pote procul ab æuo nostro primæuam originem, & rationem habens in abdita vetustatis maiestate delitescentem. Quam tamen vt tibi paream, amicisque tuis literarum cultoribus morem
a Lucret. l. 1. l. 5. geram, pro virili conabor educere, sicut ait *a* ille, dias in luminis oras. In primis obseruo, non apud omnes hunc extitisse morem bibendi singulariter, Athenæo scriben-
b l. 3. c. 20. te: *b Quum salsamentum ederemus adhuc, multique in potum impetum facerent.* & mox: *Quamuis Macedones, vt Ephippus Olynthius in libro de Alexandri & Hephæstionis exequijs testatur, non ordinate bibant, sed statim ab initio magnis propinationibus vtantur, ita vt primis etiam mensis tacentibus fiant ebrij, neque cibis vesci postea valeant.* Quin etiam quum isti Quæsito nomen Symposij contradicere videatur, quod compotationem significat (nisi velimus compotationem ad totum tempus, & ad locum Symposij
I. Ratio Quæsiti. referri) Nihilominus apud quos moris id fuit singulatim bibere, primum referri posse videtur ad puram reuerentiam bibentis; cui signum hoc honoris exhibeant omnes alij conuiuæ. Quæ sane ratio valere potest, vbi conuiuantium honorabilior potauerit: verum infimi subsellij bibente quopiam, primores ob illius cultum a potu cunctos interim abstinere consueuisse, probabile non est.
II. Ratio. An vero potationem huiuscemodi singularem in sym-

posio

posio referre liceat ad rationem physicam, & moralem? quia scilicet aliquando contingit, vt inter bibendum gutta liquoris a gula deflectat in tracheam, vnde concitatur vehementer sonora molesta tussis, & inopinato fragore valido compotantem facile quemque turbare valeret, simul & in consimilem affectum vehementis & molestiæ tussis impellere. Quæ sane ratio maiori probabilitate nititur, quam prior. Nec omittendum est, vt Græcos olim, ita nonnullas alias etiam inferioris æui Nationes consueuisse passim præbibentes in conuiuijs inuitare, vnumquemque singuli viritim ad certam potandi mensuram scyphis prælongis per interualla distinctos mensurarum circulos habentibus: Ideoque singuli cuiusque bibentis potationem omnes obseruare solitos accurate, num ad præscriptam ebiberet mensuram, nec ne. Ceterum vbi frequentior est multorum compotatio, meraque iam calentium, vt sæpissime fit, obstrepera tumultuosaque valde nimis, vna simul etiam multi nulla lege potant. Quem sane morem certandi potationibus, Carolus Magnus extirpare conatus, lege vetuit, Ne quis alium ad bibendum prouocaret; ebriumque in exercitu aquam in posterum potare compulit, ipse temperantiæ pulcherrimum exemplum existens, cibi potusque parcissimus. Verum enimvero lubet altius propositi problematis causam expiscari. Proculdubio quamuis Lacedæmones nullam omnino bibendi legem haberent, iuxta vetustam distichon: III Ratio.

„ Atque etiam Spartæ mos est laudabilis ille,
„ Vt bibat arbitrio pocula quisque suo.

Quem morem obseruatum voluisse Regem Persarum Assuerum, legimus in sacra pagina notis ipsissimis: *c Bibebant autem qui inuitati erant aureis poculis, & alys atque alys vasis cibi inferebantur. Vinum quoque, vt magnificen-* c Esther 1.

tia

tiu regia dignum erat, abundans & præcipuum ponebatur. Nec erat, qui nolentes cogeret ad bibendum. Sed sic Rex statuerat, præponens mensis singulos de principibus suis, vt sumeret vnusquisque quod vellet. Nilofecius tamen apud alios Græcos, & apud Romanos etiam certæ leges erant bibendi; quarum obseruatione diligenter inuigilabant aliqui Conuiuio Præfecti, quos appellare consueuere
c l. 1. qu. 4. *Sympostarchas* Attici, Plutarchi c testimonio in Symposiacis, Xilandro vertente, *Conuiuij-Magistros*: Latini vero nuncupauere *Modiperatores*; vt apud Nonium M. Varro fatetur: *Modiperatores*, inquit Nonius, *quas Modum imperantes. Varro Rerum Humanarum libro vigesimo: In conuiuijs qui sunt instituti potandi Modiperatores magistri.* De quibus potandi legibus in conuiuio, passim Autores classici, Athenæus, Diogenes Laertius, M. Tullius, & Plutarchus ipse strictim, sed fusius Plinius, & Rhodiginus. Athenæi
d l. 2. c. 1. verba sunt: *d Philochorus in Amphictyonem scribit Atheniensium regem primum omnium, vinum miscuisse; quippe qui mistionem a Dionysio didicisset: quare recte se habuisse homines ita bibentes, ait, qui prius mero flectebantur; atque idcirco Dionysio Recto in Horanum Sacello Aram fuisse erectam; illæ enim fructus vitium nutriunt. Apud aram ipsam Nymphis etiam aram extruxit, monumentum mistionis faciens vino vtentibus; quia Bacchi nutrices Nymphæ fuisse dicuntur. Legem præterea sanciuit, tantum vini non misti post cibos sumere, quantum satis esset ad gustandum, ob indicium virtutis boni Dei: at reliqui misti, quantum quisque vellet. Iouis præterea Seruatoris nomen inuocare constituit memoriæ gratia bibentium; quod sic bibentes, salutem sine dubio consequerentur. Plato libro De Legibus secundo vini vsum scribit sanitatis gratia nobis fuisse concessum.* Laertius e ait: *Inuitatus*
e l. 8. in vi. En pedoc. *enim Empedocles fuerat a quodam ex principibus; ac procedente conuiuio, cœna non inferebatur: Tacentibus alijs, indi-*

gne

gne ille ferens, inferri iussit: Qui vero illum inuitarat, præstolari se Curiæ ministrum dixit: Vbi vero ille aduenit, Conuiuij princeps constitutus est; id nimirum agente eo, qui illum vocauerat. Tum ille Tyrannidis initia haud obscura præseferens, iubebat. Aut bibere, aut in caput diffundi merum. Tunc igitur Empedocles tacuit. Postridie vero coacto iudicio damnauit vtrumque, ac peremit Inuitatorem, & Conuiuij-principem. Istud enim eius Reipublicæ tractandæ initium fuit. Quid, obsecro, fecisset Empedocles de compotatoribus hodiernis? qui dicunt, *Aut bibe, aut hunc cantharum, quantus est, in caput impingam tuum:* & ita non raro ex compotatione fit monomachia. Tolerabilior alia lex est, & a *f* Cicerone laudata, dum infit: *Mibi quidem in vita seruanda videtur illa lex, quæ in Græcorum Conuiuijs obtinetur: Aut bibat, inquit, aut abeat: & recte: Aut enim fruatur aliquis cum alijs voluptate potandi; aut, ne sobrius in violentiam vinolentorum incidat, ante discedat: Sic iniurias fortunæ, quas ferre nequeas, defugiendo relinquas.* Quam legem in Adagium transtulerunt Erasmus, atque Manutius. At vero legis potandi, quæ luculentiorem rationem afferre valeat nostri problematis, meminisse videntur alij Scriptores; etenim compertum est apud Classicos, in conuiuijs homines certa quadam mensura bibere consueuisse per ordinem; is autem ordo seruari non poterat, nisi seorsum singuli potarent, vnus post alium; nam simul pluribus compotantibus, quis ordo potest inter bibentes esse? De hoc autem ordine bibentium plenum præclarumque testimonium habemus Plutarchi, scribentis in opusculo, cui titulum *Conuiuij* dedit, huiuscemodi sententiam: *Alioqui teneo apud antiquos moris fuisse, vt propinarent inuicem, certaque (vt apud Homerum est) mensura biberent per ordinem; quo modo Aiax partes carnis ei, qui iuxta assidebat, obtulit.* Certe propinare ad inuicem non valent, neque

f 5. Tusc. f.

IV. Ratio.

per ordinem bibere ad mensuram, nisi singuli seorsum. Hinc factum est, vt, vno bibente, nemo ceterorum simul

V. Ratio. potaret. Insuper & illud e Scriptoribus celebrati nominis habeo, certas in Symposijs bibendi fuisse leges, quas nefas erat vlli transilire; quin & conuiuio præfuisse quosdam exploratores, quorum officium erat diligenter inspicere, num quis bibentium ab obseruantia legum se se eximeret; erant autem leges istæ: non errare loquendo: siue balbutiendo, siue cespitando, siue aliter: non vomere, nec aluo deponere crapulam, neque mingere: plurimum haurire vnica potione: plurimum addere præcedentibus potationibus poculisve minoribus: non respirasse inter bibendum: non expuisse: nihilque in fundo poculi reliquisse liquoris, quod ad pauimentum elidi posset. Istas vero leges an obseruarent potantes percipere non possent pauci exploratores, si conuiuarum simul plures vna biberent, sed solum si singuli seorsum potarent. Profecto de legibus istis bibendi Plinius ante

a l.14.c.22. Plutarchum ita locutus: *a Tiberio Claudio principe ante hos annos quadraginta institutum, vt ieiuni biberent, potusque vini antecederet cibos, externis & hoc artibus, ac medicorum placitis nouitate aliqua se se commendantium. Gloriam hac virtute Parthi quærunt: Famam apud Græcos Alcibiades meruit; apud nos cognomen etiam Nouellus Torquatus Mediolanensis, ad Proconsulatum vsque e Pratura honoribus gestis, tribus congijs (vnde & cognomen illi fuit) epotis vno impetu, spectante miraculi gratia Tiberio principe in senecta iam seuero, atque etiam sæuo alias, sed ipsa iuuenta ad merum pronior fuerat. Eaque commendatione credidere L. Pisonem Vrbis Romæ curæ ab eo delectum, quod biduo duabusque noctibus perpotationem continuasset apud ipsum iam principem. Nec vllo magis Drusus Cæsar regenerasse patrem Tiberium ferebatur. Torquati rara gloria (quando & hæc ars suis legibus*

bus

bus constat) non labasse sermone, nec leuatum vomitione, non altera corporis parte, dum biberet: matutinas obisse vigilias: plurimum hausisse vno potu: plurimum praeterea alijs minoribus addidisse: optima fide non respirasse in hauriendo, neque expuisse: nihilque ad elidendum in pauimentis sonum ex vino reliquisse, diligenti scito legum contra bibendi fallacias. Ad quas diligenter obseruandas incassum instituti forent exploratores conuiuiorum, si multi simul compotassent, non singuli seorsim bibere consueuissent. Qua de re post Plinium, ex Plinio pariter & ex alijs antiquis autoribus Cœlius Rhodiginus ita: *b Apud Romanos vero bibendi ars hisce fere constabat legibus, quod Plinius obseruauit, & docuit: Non labasse sermone, non leuatum vomitione, non altera corporis parte; plurimum hausisse vno potu: plurimum praeterea addidisse alijs minoribus: optima fide non respirasse in hauriendo, neque expuisse, nihilque ad elidendum in pauimento summum ac postremum potum ex vino reliquisse. Haec Plinius: qua eo gratius apposuimus, quoniam quod extremo loco adiectum est, Horatio multum infert lucis Carminum secundo, quem locum conniuentes plerique transiliunt, in aurem, vt aiunt, vtramque prorsum sopiti.* b lib.7.ant. lect.c.26.

Absumet hares Cecuba dignior
Seruata centum clauibus, & mero
Tinget pauimenta superbo,
Pontificum potiore cœnis.

In eo autem, quod Plinius dicit, optima fide non respirasse in hauriendo, scitu dignum est, id Graece admodum venuste vno exprimi verbo ἀμυστί, quo significatur, inter bibendum ne fuisse quidem occlusum os, aut contracta labra, sed capaciter hausisse, aut magis quasi ἀμυστί, quod indicat sine respiratione; vnde etiam producitur verbum, ἀμυστίζω, eo modo bibere; quod nos Latine, nec inepte, amystisare dixerimus; quando & Horatianam legimus amystidem. Sed & alibi postea

e lib. 28. c.5. Rhodiginus ait ad hoc propositum: *c Auctor Critias est, Cottaborum lusum esse Siculorum proprium, quin & ab eisdem inuentum: veluti etiam latage, nationis eiusdem vocabulum creditur, quo significari Athenaeus arbitratur, quod ex potu superest in poculo, id conuersa manu dextra sursum, molliter ac per ambitum cubito innixi sinistro, iactabant ludentes in* d cap.6. *cottabum*. & inferius: *d Thracum Scytharumque proprium fuisse videtur, capacius ingurgitare merum, & ingentia exsiccare pocula. Id perobstare significat Pollux libro sexto, vbi ait, ἀμυστίζειν esse idem fere, quod Thracum more bibere. Verbum id apud Plutarchum expositum inuenio pro eo quod est, multum, sineque respiratione bibere: hoc est, vt ipse ait, ἀθροῦν, καὶ ἀπνευστὶ πίνειν. Hinc apud Horatium dictam puto Amystidem*. & mox. *Qui potus ministerio praeficiuntur, dici quidem Oenochos solent: in Neptuni tamen festo etiam Tauscio appellatos. Hellespontij pincernam vocant epenichytem: at veteres etiam Ceryca, vt ex Homero liquet. Qui vero Oenoptae nuncupantur, tres numero exploratores inspectoresq; erant caenarum, an ex aequo potaretur*. Mirum est, quod Aristote-

* hist.c.2. les ait, * *Syracusis potator quidam, ouis sub storia in terra positis, tandiu potabat, donec oua ederent foetum*. Ceterum leges istę potandi solum in orbe nostro viguerunt apud Romanos atque Graecos; nam apud Sinas oppositae fuere leges potandi, nimirum exilimis calicibus, & sorbillando saepius repetita respiratione, simulque cuncti compotatores eodem tempore; sicut ex P. Matth. Riccio refert P. Nic. Trigautius agēs de Christiana expeditione ad Si-

e lib. c.7. nas his fere verbis: *e Nunc de Sinarum cōuiuijs agam, in quibus non minus sunt officiosi, quam frequentes, non pauci etiam fere quotidiani. Omnia enim prope sua negotia, non illa solum quae ad humanae vitae rationem, sed quae ad Religionem etiam spectant, epulantes tractant; & inter eximia beneuolentiae argumenta ponunt conuiuia. Quae ab ipsis non Commessationes,*

sed

ſed, Græcorum more, Compotationes non immerito vocantur: licet enim eorum ſcyphi ac pateræ non plus vini, quam nucis putamen, capiant, frequentiſſime tamen hauſtus iterant. & mox: *Quoties bibitur, inuitator pateram in diſco vtraque manu capit, & eam leuiter erigens, ac mox deprimens, reliquos ad bibendum inuitat: eodem tempore ſinguli ad inuitatorem conuerſi idem faciunt, & ſimul omnes bibere incipiunt; quod ſorbendo ita lente faciunt, vt ad exhauriendam pateram non raro quater quinquiesve eam ori admoueant. Eum potandi ritum, ſorbendo videlicet, ſemper obſeruant, etiamſi aquam biberint: & nihil vnquam continuatis hauſtibus more noſtro exhauriunt.* Quem morem Sinarum etiam celebrat politiſſimus Hiſtoriarum Indicarum ſcriptor Mufteius, * cui *Sinenſes exiguis poculis crebro hauſtu ſedant ſitim: & magno cum honore verborum mutuo ſibi propinant.* Quare non opus illis eſt Oenopta exploratore, vt apud nos, qui diligenter inſpiciat ne hauſtus interrumpatur media reſpiratione, totumque merum amplioris calicis hauriatur, nec in fundo relinquatur quidquam, neve leges aliæ potandi ſuperius allatæ tranſgrederentur; adeoque Sinæ ſimul omnes poſt inuitatorem eodem tempore potant; e contra Noſtri per ordinem ſinguli bibunt in conuiuio, non multi ſimul. De tempore vero, quo primum inſtitutum fuerit apud Europæos in Sympoſio bibere ſeorſim ſingulos, non vna plures; & quis extiterit eius moris inſtitutor determinate, prorſus incertum eſt. Arbitror tamen eum fuiſſe perantiquum; non ſolum quoniam Homerus, vt ex Plutarcho notauimus, hunc morem innuiſſe videtur aperte, dum ponit conuiuas menſura bibiſſe *f* per ordinem: dumque Phæacum Rex Alcinous, apud *g* eundem, imperat vni præconi viro:

* l.6.

f 1. ſymp. qu.4.

g Odyſſ. l.7.

„ Pontonoe craterem miſcens vinum diſtribue

„ Omnibus per domum, vt & Ioui fulminatori

Libe-

„ Libemus, qui ſupplices honoratos benigne proſequit.
„ Sic ait: Pontonous autem dulce vinum miſcebat:
„ Diſtribuit autem omnibus propinans poculis.
„ Ceterum poſtquam libarunt, biberuntque quantum cupiebat animus.

At iſta diſtributio fieri non potuit ab vno Pontonoo niſi viritim, adeo vt ſinguli ſeorſum biberent, non autem eodem tempore ſimul omnes compotarent. Sic & in Iliade Poeta Patroclum facit Achilli parere præcipienti ſeorſum miſcere tribus conuiuis hoſpitio ſuſceptis, Phœnici, Aiaci, & Vlyſſi; ſic enim Achilles

b Iliad.9. 200. „b Et ſedere fecit in ſedilibus, puluinisque purpureis.
„ Statim autem Patroclum allocutus eſt prope exiſtētē.
„ Maiorem iam craterem Menœtij fili appone,
„ Meraciusque miſce; poculum autem para vnicuique.
„ Iſti enim chariſſimi viri meo ſunt ſub tecto.

Verum & apud Platonem in Phœdone de morte Socratis agentem habemus veſtigium eius antiqui moris, non relinquendi quicquam in fundo pateræ, quod ad pauimētum proijceretur, ſed vniuerſam hauriendam eſſe, vel pharmaci lethalis; nam de lictore venenum propinaturo

i in f. Phædo. ſic ait: *i Ille vero egreſſus, & aliquantulum commoratus rediit, eum qui venenum daturus erat, ſecum ducens: attulit autem in calice id attritum. Hunc aſpiciens Socrates, Cedo, inquit, bone vir, tu enim harum rerum peritiam habes, quid me facere oportet? Nihil, inquit, aliud, quam poſt potionem deambulare quoad grauari tibi ſentiens crura, poſtea vero iacere: atque ita tu facies. Hæc dicens porrexit calicem Socrati. Socrates vero hilariter admodum accepit, nihil omnino commotus, neque colore, neque vultu mutato, taurine illum aſpiciens, quid ais, inquit? licet ne ex hoc poculo nonnihil ſpargendo ſacrificare? Tantum, inquit, o Socrates, contriuimus, quantum ſatis fore putauimus. Intelligo, inquit. Sed & licet, & oportet orare Deos, ut ſe-*

felix sit transmigratio nostra. Quod equidem obsecro, atque vtinam ita fiat. Et simul his dictis amouens, facile admodum alacriterque ebibit. Hinc aperte constat Quæsitum morem bibendi certis legibus singulariter antiquissimum fuisse; quippe Socratis, & Homeri temporibus vsitatum, incerto tamen adhuc eius primo institutore. Ista tibi de proposito dicere potui, vir eximie, conscribenda tuis amicis eruditissimis; qui mea cogitata velim æqui bonique consulant. Tu vero vale ac me ama. Dabam Patauij e meo Scalumnæ Museo. M DC XLVIII.

De simplicibus complexionibus, a Galeno & Auicenna positis, & ab Auerroe negatis, Quæsitum. Cap. XXXVII.

Cl. & Excell. Viro Dn. D. Fortunio Liceto Theor. Supr. Cathedræ Ioannes Veslingius S.

OPtime Plinius eam inquit in omni re animorum conditionem esse, vt a necessarijs orta primum, cuncta deinde peruenerint ad nimium. In Galeno id non paucis locis obseruamus, quem scribendi multa, si non cacoethes, saltem lasciuia quædam, extra & vltra rationis limites non infrequenter abripuit. Tradiderat abunde de quatuor temperamentorum differentijs, pro abundantium in nobis humorum, adeoque elementorum excessu, Theoriæ Medicæ satisfacientibus. Adiunxit his temperamenta quatuor simplicia, vnius e primis qualitatibus exsuperantiã repræsentantia; quę Auerroes, alijque ingenio doctrinaque pollentes viri, quum ad normam veritatis exigerent, me quoque iudice, tanquam erroribus plena, merito reiecerunt. Nam quum elementorum quod in temperamento dominium, victoriamque sortitur, non simplicem, sed duplicem qualitatem iu-

iure naturæ possideat: necessum est, non vnam, sed vtramque in victoris sui curru pariter triumphare. Notum est, humidum & siccum, passiuas scilicet qualitates, veluti materiam esse, tam calidi, quam frigidi; adeoque sine his in systemate rerum sublunarium se se non patefacere: certumque sit, alterutra qualitatum actiuarum in temperamento dominante, passiuam alteram, vt pote naturalem sociam, delitescere non posse; sed sensibus se se testibus manifestare. Detexit rei veritatem Galenus ipse, dum possibile esse negat, vt simplex intemperies diu duret, quin alteram sibi ex necessitate adsciscat. Malim itaque cum Hippocrate, summo salutaris sententiæ Dictatore, homines, ab humorum, adeoque & elementorum euidenti dominatu, sanguineos, biliosos, pituitosos, melancholicos dicere; quam simplicia venari temperamenta; quæ nec ratio solida fulcit, neque experientiæ fides vel inesse mortalium generi, vel certe diutine adesse probauit. Tuum tamen erit, Cl. Vir, intra scrupos hosce forsan male vestigia ponenti, molliorem, meliorem que viam sternere. Quod si negabis, iter hac Galenica via ad Veritatem esse, non ero molestus, cedam libenter, & in Auerrois, seu potius vetustissimorum auctorum sententia acquiescam. Vale.

Responsio Liceti, soluens Auerrois argumenta contra simplices temperaturas; & illarum originem ac essentiam aperiens ex rei natura. Cap. XXXVIII.

Cl. Doctissimoq; Viro D. Ioanni Veslingio Eq. S. Sepulchri Anatomico primario, & Botanico Pat. Scholæ Fortunius Licetus B.A.

EQuidem, vir eximie, Galenum extra rationis limites abreptum frequenter a luxuria quadam, si non aca-

a cacoethe scribendi multa, non dixero; quia quæ scribuntur, quum sint pure fructus animæ parturientis internos conceptus, multitudo scriptorum est a fecunditate mentis; at illud fortasse luxuriæ scribendi, cacoethique Galenicæ tribui posset, quod vsus Asiatico stilo luxuriam verborum habuerit; & iterata sæpius eorumdem dogmatum repetitione, disputationeque longiore de rebus eisdem aduersus alios autores æuo suo celebriores, cacoethen scribendi præsetulerit; quod vtrumque vitium e Galeni scriptis amputare conatus egregius ille Lacuna, Galeni doctrinam ad epitomen reduxerit. Attamen nec ista seu luxuria, seu cacoethe scribendi necessario debuit a vera doctrina Galenus abripi; quod intra veritatis aream philosophari possumus & idem verum dogma sæpissime repetentes, & veram sententiam Asiatico stilo describentes. Quamobrem de temperamentis quatuor simplicibus nihilominus veram doctrinam sensisse potuit Galenus, eam cum verborum luxuria repetens, ac Auicenna præstiterit, ipsam absque repetitione laconice describens; aduersus quam omnes vires ingenij videtur Auerroes intendisse, conatus ostendere eam imaginatione quidem effingi posse, clariorisque doctrinæ gratia proponi; sed tamen inueniri non valere realem in vllo corpore misto, nedum in humano viuente. Ardua dubio procul aduersus intemperiem quamque simplicem proponis, Cl. Vir, Auerrois argumenta; quibus eluendis vt Medici passim contraria sentientes insudarunt, vix vllam ab ijs habeas exactam enodationem difficultatis; nam qui primo confugiunt ad vulgatam sententiam de qualitatum in eodem humore, vel elemento differentia; quod alteram in excessu possideat, a qua constituatur temperatura simplex; alteram qualitatem obtineat remissam, quæ propterea non turbet simplicitatem intemperiei ab excedente qua-

litate productam; non possunt vim obiectionis euitare; tum quia reuera nulla qualitas est in igne remissa, sed ambæ sunt in excessu caliditas, & siccitas: itidem de terra, & aqua dicendum: & de singulis humoribus ad hæc proportionem habentibus, bile flaua, melancholia, & pituita: tum maxime, quia si demus in igne siccitatem ad calorem collatam habere rationem qualitatis remissioris; tamen in igne siccitas absolute mediocritatem excedit, vnde temperaturam non potest non excedentem promouere; sic de bile dicendum; & de ceteris tum humoribus, tum elementis proportionabilibus; vt facile cuique consideranti constat; nam & aquæ pariter & pituitę tum frigiditas, tum humiditas mediocritatem excedit; quantumvis vna magis quam altera: similiter & tellus, & atra bilis vtramque suam qualitatem frigiditatis & siccitatis obtinet supra mediocritatem, licet altera sit excedentior. Ego vero, posteaquam de proposito quid sentiam aperire iubes, concedere non possum in hanc Auerrois opinionem, tum quia nec autori suo satisfecisse videtur; tum quia nititur argumentis, quæ solutionem habent in rerum natura, si eam intimius perscrutari voluerimus. Quoad primum quidem Auerroes ipse complexiones simplices accipit alibi non semel, & dum ait: *a Et dicimus, propterea quod membra consimilia non agunt, nec patiuntur secundum cursum naturæ, nisi quando mensuræ caliditatis, frigiditatis, siccitatis, & humiditatis erunt in illis cum proportione conuenienti in omnibus speciebus complexionis sanitatis: sicut narrauimus in libro Sanitatis. Similiter est necesse, vt sint ægritudines illorum membrorum ipsis egredientibus ab ipsis mensuris proportionatis in vna qualitate, vel duabus ex illis, quæ possunt combinari. Ergo species ægritudinis istorum membrorum sunt octo, videlicet frigida, humida, calida, sicca: vel calida & humida, calida & sicca, frigida & sicca, frigida*

a 3. coll. c. 1.

da & humida. Et dum inquit: *b Necessario itaque vnum, idemque temperamentum speciei par atque impar producitur: idque in vna, duabusve quatuor qualitatum, quarum mutua coniugatio fieri possit, factiuarum scilicet, ac passiuarum, quæque sibi inuicem non repugnent, cuiusmodi calida & humida, frigida & sicca, calida & sicca, frigida & humida. Quamobrem similarium partium nouem esse temperamenta necessario fatebimur, videlicet calidum, humidum, frigidum, & siccum: atque ex his mutuæ coniugationes quatuor, & temperatum*. Licet illico simplices in rerum natura negare videatur. Quare nutans in sententia quoquopacto rationem firmam ex rei natura non attulit. Cui sane concedentes temperamentum, siue complexionem fieri ex quatuor primis qualitatibus non in abstracto sumptis, verum in concreto, quia singulæ sint applicatæ subiectis proprijs: dantes item illarum subiecta esse immediata quidem in humano corpore quatuor humores, mediata vero quatuor his proportionata elementa. Quin etiam concedentes in quocumque corpore prædominetur ceteris vnicus humor, aut vnicum elementum, in eo mediocritatem æqualitatis excedere non vnam solum, sed ambas qualitates illius humoris, ac elementi proprias, vt optime censuit Auerroes: Negamus tamen, quod ipse falso supponere videtur, in vnoquoque corpore prædominari semper vnicum elementum, aut vnicum humorem; nam prædominantur in vno corpore non raro duo elementa, duoque proportionati eis humores; quibus inest vna tantum qualitas contraria, & altera sola similis, atque symbola: Quo casu contrarijs qualitatibus a seinuicem mutuo remissis, & ad mediocritatem redactis, vna symbola mediocritatem excedat. Nam quis vnquam negauerit, in vno quopiam misto prędominari posse simul ignem & aerem terræ pariter & aquæ? Quis non videt in eo

b 1. collect. de san. c. 1.

Solut. rat. Auer.

Oo 2 sic-

ſiccitatem ignis ab aëris humiditate retundi, caliditate illibata, ſed potius aucta? pariter & aeris humiditatem ab ignis ſiccitate conſumi, & hebetari, caliditate minime refracta, quis ibit inficias? Quum igitur in eo corpore caliditas & aeris & ignis prædominantis mediocritatem excedat; parumque patiatur a frigiditate telluris & aquæ debili, quod infra mediocritatem exiles vires habeant contra duo ſibi prædominantia; neceſſario fatendum eſt, corpora, in quibus ignis & aer prædominantur aquæ ac terræ, obtinere complexionem ſimplicem calidam ſupra mediocritatem, quam non excedant aliæ tres qualitates, humiditas, frigiditas, & ſiccitas. Idipſum aſſerendum eſt, habito reſpectu ad humores: nam corpus, in quo ſuperabundat ſanguis & bilis, nempe ſanguis bilioſus, eſt complexione ſimplici calida præditum, bilis calore non hebetante caliditatem ſanguinis, aſt eam acuente; ſanguinisque calore pariter non remittente caliditatem bilis, ſed eam fouente, vel adaugente; ceterum ſiccitate bilis minuente ſanguinis humiditatem, & iſta viciſſim remittente ſiccitatem bilis; quum calor ſanguinis atque bilis exuperantium nequeat a frigiditate pituitæ, neque melancholiæ non excedentium, ad mediocritatem redigi. Sic igitur neceſſario corpus, in quo ſupra pituitam & melancholiam infra mediocritatem exiſtentes, inuenitur ſanguinis & bilis mediocritatem ſuperans, aderit complexio calida ſimplex, tribus alijs qualitatibus mediocritatem non excedentibus. Pari ratione corpus, in quo prædominantur aqua ſimul atque terra, pituitaque ſimul & melancholia, fuerit complexione frigida ſimplici donatum; nam in eo mediocritatem non excedit calor, quia nullus ineſt in aqua, nec excedens in pituita, nullus in terra, nec excedens in melancholia; quæ ſingula ſunt a prædominio frigida: neque mediocritatem exce-

dit

dit humiditas aquæ, satis retusa a siccitate terræ; nec humiditas pituitæ, satis hebetata a siccitate melancholiæ: Neque mediocritatem superat siccitas terræ, vel melancholiæ, quam remittit humiditas aquæ, ac pituitæ. Sic ergo corpus habet complexionem frigidam simplicem; in quo ceteris elementis, & humoribus prædominatur terra & aqua, melancholia & pituita, habentes frigiditatem vnam qualitatem symbolam, a nulla depressam infra mediocritatem: & omnes alias infra mediocritatem hebetatas a suis contrarijs & pluribus & valentioribus. Consimiliter corpus, in quo prædominatur aer & aqua, ijsque proportionabiles humores, sanguis & pituita, siue sanguis pituitosus, habet complexionem humidam simplicem in excessu mediocritatis, quam non excedit siccitas, quæ nulla prorsus est in aere, aqua, sanguine, ac pituita; neque caliditas, quia sanguinis caliditas & aeris remittitur infra æqualitatem, aut saltem ad æqualitatem a frigiditate prædominantis itidem aquæ, ac pituitæ: neque vicissim frigiditas phlegmatis, & aquæ, quam retundit saltem ad mediocritatem caliditas sanguinis & aeris: quum humiditas vtriusque tam elementi, quam etiam humoris sese foueat, & augeat, sustineatve supra mediocritatem æqualitatis: a qua non possunt eam depellere siccitas aliorum elementorum, & humorum, ignis nimirum ac terræ, bilis & melancholiæ, in eo corpore degentium infra mediocritatem. Denique corpus in quo ceteris elementis prædominantur ignis atque terra, seu his proportione respondentes humores bilis flaua, & atra, complexionem obtinet simplicem siccam; etenim terræ ac ignis, nec non bilis vtriusque siccitas mutuo se se fouent, atque seruant in excessu prædominij; quum ignis & bilis flauæ caliditas remittatur ad mediocritatem saltem a frigiditate terræ, ac melancholiæ; pariterque

melan-

melancholiæ terræque frigiditas remittatur, & non permittatur attolli supra mediocritatem a contraria sibi caliditate flauæ bilis & ignis. Ad secundam vero rationem absolute negamus, ambas qualitates passiuas, vulgo nuncupatas, esse materiam actiuarum; etenim omnes qualitates mutuo singulæ patiuntur, & agunt adinuicem, quæcunque contrarietatem habent inter se se, vt ait
e 1.1.d.4. c.1. *c* Auicenna; singularumque simul & omnium vna materies est illis essentia corporea subiecta; neutra subijcitur alteri tanquam subiectum; neque qualitatum actiuarum passiuæ materia sunt, vt accipitur gratis, at sola substantia corporis vel simplicis, vel misti: neque caliditas, & frigiditas actiuæ sunt absolute, siccitas & humiditas passiuæ, nisi comparate; tum quia maior est illarum quam istarum actiuitas; tum maxime, quia definiuntur illæ per actiuitatem, istæ per passibilitatem ab Aristotele dicente:
d 2. de gen. t.8. *d Oportet autem actiua & passiua ad inuicem esse elementa; miscentur enim, & transmutantur in seinuicem. Calidum autem, & frigidum, & siccum, & humidum; illa quidem quia actiua sunt, hac autem quia passiua dicuntur: Calidum enim est quod congregat ea quæ sunt eiusdem generis; segregare enim, quod inquiunt facere ignem, congregare est ea quæ eiusdem generis sunt; contingit enim excipere aliena. Frigidum autem, quod coniungit & congregat similiter & ea quæ eiusdem generis, & quæ non eiusdem generis.* Congregare autem, est agere, vnde qualitates hæ duæ, caliditas &
e tex.9. frigiditas dicuntur actiuæ. *e Humidum autem, quod interminabile proprio termino, facile terminabile existens. Siccum autem, facile terminabile proprio termino, difficulter autem terminabile.* Terminari autem est pati, & esse terminabile est esse passibile, siue passiuum. Sed absolute singulæ quatuor qualitates primæ sunt actiuæ pariter atque passiuæ, si suis contrarijs comparentur, & ad materiam

sub-

substantiæ subiectæ, quæ patitur a singulis; etenim contraria qualitas pollentior agit, infirmior e contra patitur; sed & illa repatiens, ista vero reagens, quæcumque subiectam materiam obtinent communem. Hac ergo ratione responderi posse reor argumentis Auerrois, aduersus Auicennam, atque Galenum (quibus nunquam non contradicere studet, quasi data opera) ostendere satagentis, non dari reuera quatuor temperamenta simplicia; sed ea solum imaginatione fingi, ac intellectu per abstractionem comprehendi: diuisioneque ac verbis poni, non autem in rebus inesse. Tu, vir egregie, mea cogitata boni consule, meque ne cesses amare, tibi paria facientem. Vale.

Dabam Patauij, e meo Scalumnæ Museo.

Peroratio totius operis.
Cap. Vltimum.

SIc ergo de Creatione Filij Dei theologice denuo controuersa: de Numinis efficientia, siue concursu Dei cum causis secundis ad quoslibet effectus producendos, atque speciatim ad actiones prauas: de salute animæ Aristotelis: de Diabolo homicida ab initio; qui nec in veritate stetit, quia mendax est, & pater eius: de S. Paulini oraculo, *Esto Peripateticus Deo, & Pythagoreus mundo*: de moris antiqui, singulariter in Conuiuio bibendi, ratione, ac origine: deque Simplicibus complexionibus ab Auerroe negatis, a Galeno & Auicenna positis; ego plane sentio. Quæ mea Responsa lubentissime subijcio censuræ S.M. Ecclesiæ Romanæ, virorumque sapientum. Atque terminus hic esto Septimi voluminis, quo septies [a] in die vitæ meæ contemplatiuæ circa Responsa de Quæsitis per epistolas Clarorum Virorum, lau-

[a] Ps. 118. v. 164.

laudem dixi Domino Deo veritatis super Iudicia iustitiæ suæ: Quum hactenus mihi numerauerim *b* septem hebdomadas mysticas Quæsitorum: Sacerdosque literarius *c* septies circuiuerim ciuitatem humanæ dubitationis, clangens septem buccinis opusculorum, Quæsitorumque nouissime; clamans vociferatione quammaxime potui, quo muri Ciuitatis erroneæ Iericho-Literariæ funditus euerterentur, atque corruerent, ad laudem & gloriam Omnipotentis Dei.

b Leuit. 25. 8.

c Iosu. 6. 4. 5.



